



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Disputatio Prima. De Deo quoad absoluta, hoc est, de Essentia & Attributis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](#)

De DEO quoad absoluta: Hoc est de essentia, & attributis absolutis D E I.

INtelligo sub his terminis. 1. quidditatem D E I rudi, ac imperfecto modo explicandam, quo à nobis cognoscitur. 2. Existentiam, & demonstrabilitatem nec non fidem de illa. 3. Attributum sempiteritatis reciproce combinatum cum successivis. 4. attributa alia absoluta, & eorum distinctionem, vel indistinctionem tum inter se, tum ab essentia Divina. 5. Constitutionem actuam, sive denominationum contingentium: A quibus expeditus transibo seq. Disput. ad attributa relativa, hoc est ad Mysterium Trinitatis.

CAPUT I.

*Quidditas, & Cognoscibilitas Dei,
ut unius.*

I. Dico primo: Quidditas D E I, ut unius non stat in Aseitate, radicative intellectione. Unde hæc non sunt bona definitiones D E I Ens à se. Ens radicaliter intellectivum. Nec stat in Prima necessitate divinarum perfectionum; sed stat in hoc, vel alio æquivalente quoad rem præsentem. Ens (seu potius substantia, quippe hoc est genus minus amplum) fruens negativè, ac positiuè omni perfectione pura ab omni imperfectione. Explicui, probavi, atque defendi hæc Disp. 3. Physic. Specul. num. 3. & seqq. & operæ pretium non est eadem repetere. De aseitate non disserui ibi, nisi quantum Philosophis sufficiebat, hac de causa probo nunc illam ut talem non esse de conceptu quidditativo D E I: Aseitas vel sumitur in sensu positivo, & correlative opposito Abalietati, per quam solet definiri Creatura (& sic non convenit D E O; nam sicut abalietas consistit in eo, quod Creatura physicè producatur ab alio, ita Aseitas in eo sensu consistet in eo, quod Deus producetur physicè à se ipso, quod sane repugnat) vel sumitur in sensu significante D E U M à se,

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.

hoc est per suam essentiam esse quod est (& hoc cuilibet convenit entitatulæ, quoniam vermiculus quilibet per suammet essentiam habet formaliter immediatè, atque prorsus necessariò esse tale individuum talis determinatae speciei, identificarique cum eis praedicatis, cum quibus identificatur) vel sumitur in sensu merè negativo, id est non esse ab alio. Et hoc convenit etiam chimera, atque puris negotiis (si cognoscibilia sint ab intellectu objecta, quæ in seipsis talia sint, ut vulgo dicitur) quia nequè chimeræ, nequè puræ negationes sunt capaces, ut physice producantur ab alio.

II. Præterea definitio D E I etiam, ut unius, hoc est definitio essentiæ, ac naturæ Divinæ cum præcisione mentali duntaxat, non autem reali, à personalitatibus Divinis, debet convenire in sensu reali, materiali, & identico Verbo, & spiritui sancto, quibus convenit essentia Divina, quamvis non debeat illis convenire in sensu formalis, seu ratione nostra, quippe loquimur in sensu mentaliter præcisivo à Trinitate. At aseitas in isto sensu negativo non convenit Verbo, & Spiritui sancto quandoquidem hæc duæ Personæ Divinæ verè physicè sunt ab alio, qui solus est prima Origo primūque Principium in SS. Trinitate; ergo aseitas in isto sensu non est definitio D E I, ut unius. Quod si dixeris Verbum, & Spiritum sanctum esse ab alio in terminatione Masculinâ, sed non in neutrâ, hoc est esse ab alio, qui est *aliud*, sed qui non est *aliud*: Contrà: Ergo ista definitio ens à se, ut conveniat in sensu reali, & identico eis duabus, Personis Divinis, & consequenter, ut sit bona definitio D E I, ut unius, hoc est Essentiæ Divinæ cum præcisione purè mentali sed non reali à divinis Personis, debet exponi sic: Ens, quod non est ab alio, quicunque sit *aliud*, non est *aliud* & licet etiamsit aliud quoad personalitatem

A

tem

2

tem (personalitas quippè, seu relatio Patris distinguitur realiter ab aliis duabus personalitatibus) non est aliud quoad naturam & essentiam: sed in his duobus expositionibus imbibitur Mysterium ipsum Trinitatis; Ergo ista definitio DEI, ut unius cum præcisione mentali, sed non reali à Divinis Personis, debet exponi, & aperiri per expositiones imbibentes Mysterium ipsum Trinitatis. Et hanc putas bonam definitionem DEI, ut unius cum præcisione mentali, sed non reali à Divinis Personis: Vel demum sumitur aseitas in sensu, & positivo, & negativo, scilicet, Deus est ens, quod est, & non est ab alio. Sic autem præter difficultatem proximè objectam contrà istud negativum, est alia contra istud positivum. Nam sic definitio DEI dabitur per actualitatem existendi & expreſſe supponer hanc existentiam, cum tamen definitio quippe quæ respondet questioni *quid est res* præcindere debeat ut talis præcisè ab actuali existentia, per quam respondetur illi alii quæſtioni. *An sit res.*

III. Nullum ergo deprehendo sensum firmum qui mihi placeat, in ista definitione. Et insuper Definitio debet dari per primam originem, sive radicem in sensu Logico cæterarum omnium proprietatum, & attributorum rei quæ definitur, hoc est debet dari per prædicatum, ex quo per immediatas, & legitimas consequencias illa probetur. Hæc in Deo non est aseitas, radicalis intelligibilitas; sed habere, seu esse positivè, ac negativè omnes perfectiones puras ab omni imperfectione, quæcumque fuerit illa perfectio, aut hæc imperfectio. Ex hac quippe fruſtione sive identitate nascitur per immediatas, legitimasq; consequencias, DEUM esse à se, esse radicaliter intellectivum, esse omnipotentem & quæ aliundè ex lumine naturali sciuntur esse perfectiones puræ ab omni imperfectione, quæ omnia explicata invenies loco citato. Quamobrem Aſeitas ſicut Omnipotentiam, Immensitatem, veracitatemque in ordinem redigo attributorum, & proprietatum Metaphysicarum DEI, qui ideo à priori est à se, & ita exiſtit ut nullo alio indigeat, ad existendum, quia est ens identificatum cum omni perfectione, ſeu est ens summè perfectum, tum positivè, tum negativè, & aliundè ſupponitur no-

tum naturaliter aſeitatem ritè explicatam perfectionem esse illius generis.

IV. Objicies. Eo ipſo, quod Deus fit à ſe, non habet unde limitetur, quo circā ſemper eſt, ubique eſt, omnia ſcit, omnia potest. Ergo aſeitas eſt radix omnium horum. Confirmatur. Deus definiſtur per differentiam oppositam differentiæ per quam definiſtur creatura, ſed haec definiſtur per Abalitetam, ergo Deus per Aſeitatem: Secundò. Nec definitio quam dedi convenit in ſenu reali Divinis Personis quoniam quælibet Personalitas Divina eſt perfectio pura ab omni imperfectione, & non quælibet identificatur realiter cum aliis, ſiquidem Divinæ Personalitates diſtinguuntur realiter inter ſe. Distinguo antecedens objectionis, eo ipſo in ſenu reali concedo, quippe aſeitas reciprocè identificatur realiter cum omnibus aliis attributis Divinis. Eo ipſo in ſenu formalī, quatenus ex ſola aſeitate, nullo alio adjuncto medio, niſi ſuppositis illis, quæ naturaliter ſciuntur, poſſimus inferre eum nullam proſuſ habere limitationem nego. Nam etiam homo à ſe, ex ſe, hoc eſt ex ſuammet eſſentia eſt animal intellectivus, & tamen per ſuammet quoquæ eſſentiam limitatur, ne fit tam intellectivus, quam eſt Cherubinus; ergo ex eo præcise, quod Deus fit à ſe, niſi aliud addatur non habebimus, quod non limitetur per ſuammet eſſentiam, ne poſſit plusquam talem numerum determinatum rerum, ne ſciat plusquam talem numerum determinatum veritatum. Igitur, vel aſeitas coincidit cum plenitudine infinitatique perfectionis; vel non? ſi primum coincidit cum definitione, quam dedi, quia ideo præponenda videtur, quia clariū exprimit hanc plenitudinem. Si secundum, ex ea præcise nequeunt inferri iſtæ aliae perfectiones, niſi forte per longas, & ambiguis consequencias.

V. Ad primam confirmationem diſtinguo minorem per abalitetam conſistentem in eo quod ſint utcumquæ ab alio nego. Verbum namquæ, & Spiritus sanctus ſunt quoque ſimpliciter ab alio, qui quanvis non fit aliud, eſt ſimpliciter, & abſolute aliis, & tamen non ſunt Creaturæ: Conſistentem in eo, quod obnoxiae ſint imperfectionibus positivis & negativis Concedo Minorem. Character enim omnis

Ioan. 14. omnis Creaturæ est, quod sit perfectione finita, unde Character Dei est, quod sit perfectione infinitus, hoc est, quod fruatur omni perfectione simpliciter simplici, quæ nimurum à parte rei sit pura ab omni imperfectione. Hujusmodi perfectio in sensu reali repugnat Creaturæ, secus si consideretur in sensu formalis abstracto, & præcisivo: quia primo modo inspecta est perfectio, quæ prout est à parte rei, nulli penitus admixta est imperfectioni sive positivæ, sive negativæ. Secundo autem modo est perfectio, quæ in suo conceptu formalis, seu in sua definitione nullam exprimit imperfectionem. At quamvis Creaturæ convenientia multa, quæ in suo conceptu formalis nullam exprimunt imperfectionem, v. g. esse substantiam, esse vivens, esse electivum, &c. repugnat tamen illi prædicatum, quod prout est à parte rei non corrumpatur imperfectione ulla, quandoquidē hæc ipsa prædicata, quæ modò dixi, imperfectionibus scatent in Creaturis. Ergo licet his non repugnet perfectio, quæ in sensu formalis sit negativè simpliciter simplex, seu pura negativè ab omni imperfectione, repugnat perfectio, quæ in sensu reali talis sit. Ad secundam: nego assumptum. Ad probationem respondeo, quod licet Divinæ personalitates distinguantur realiter invicem, singula tamen sunt in aliis per circumstanciam postea exponendam, quam docuit una ex Divinis personis inquit: *Non creditis, quia ego in Pare, & Pater in me est?* Tota quippe entitas, realitas, veritas, & perfectio Paternitatis non est alia, ut postea dicam, quām entitas, realitas quæ essentiæ, quæ sane est in aliis duabus Personis. Ergo singulæ Divinæ personæ fruuntur omni, & tota perfectione aliarum; Ergo singulis convenient ea definitio. Præterea leviora alia, v. g. Quod Deus componeretur ratione nostra ex genere, & differentia, unde ratione nostra, qua apparet summè perfectus, apparet simul imperfectus; quod sequeretur, nos agnosceremus Deum quidditatib; in hac vita: Quod ratio, definitio, & species sunt idem, unde ubi non datur species sicut in Deo, non datur, nec potest dari definitio: Quod singularia, ut talia non definitiuntur. Hæ & similes vetustates mitto, quia impugnant omnem definitionem Dei, cùm tamen Theologi ferè omnes incumbant in eam: ut pro modulo nostro sciamus,

quid sit Deus, cuius Creaturæ sumus; Et quia solum probant nos non posse dare exactam & perfectam definitionem Dei, quod concedimus, & tantum aspiramus ad aliquam, ex qua tamquam ex primo principio Logico inferamus per immediatas, & faciles consequentias cæteras proprietates necessarias Dei, quarum cognitio conceditur nobis.

VI. Dico 2. Tametsi existentia D E I, ut unius non sit per se nota, viatoribus, ut probat S. Thomas (Beati profecto intuentur illam, undè non egent ratione suasivâ ut illam sciant) nisi illis, quibus forte Deus speciale infundit lumen, id est firmissimam quandam cognitionem, aut speciem intelligibilem, aut apprehensionem ex illis, quæ vocantur suasivæ, vi quarum absque ulla alia suadente, ac probante ratione certissimi prorsus sint de existentia Dei, eo modo quo Disp. sequente dicam esse possibilem evidentiam immediatam & simul abstractivam SS. Trinitatis. Est tamen demonstrabilis non tantum à posteriori ex Creaturis (quam demonstrationem passim apud Theologos invenies tum stylo Ora-torio ornatum, tum Scholasticis numeris ligatum, & hac de causa ab illa tempore manum, & quæ demonstratio elicuit ab Augustino famosa illa verba, *Et audiri si Lib. 7. Com-
put. dubitare: faciliusque dubitarem vivere me,
quām non esse veritatem quæ per ea, que facta
sunt, intellecta conspicitur.*) Sed est etiam demonstrabilis à priori, non utique physico, quia Deus non est capax causæ, ex qua procedat, sed Logico, aut Metaphysico, id est, est demonstrabilis ex definitione ipsa Dei; Demonstrabilis inquam non in sensu tum directo, tum reflexo, quippe sic non esset locus questioni de hac demonstrabilitate. Sed in sensu tantum directo, sicut solet affirmari *esse de fide* illud, de quo dubitatur inter Theologos sit necne de fide, negantibus unis, & affirmantibus aliis. Hæc explicui, & probavi Disp. illa 3. Phys. speculativæ, quibus non aduersatur S. Thomas pr. pa. qu. 2. art. 2. ubi tantum contendit, Deum esse demonstrabilem ex effectibus; quod si hoc sit negare indirectè demonstrationem à priori: Concedo negationem à priori Physico secus à priori Logico, aut Metaphysico. Probo ergo solam primam partem hujus Conclusionis.

4

*Idem cap.
23. de Per-
severan-
tia.
Threnor. 1.*

VII. Quemadmodum justa Augustinum dicimus *lætum diem*, qui *lætos facit*: Et quemadmodum juxta Jeremiām. *Vie Sion lugent*. Quia lachrymas eliciebant ab intuentibus illam solitudinem; non verò quia viæ ipsæ formaliter in se ipsis lugerent, aut quia dies formaliter in se ipso lætus sit, cùm ambo hæc, utpotè insensibilia, incapacia sint harum passionum. Ita objecta passim dicuntur evidētia, obscura, certa, probabilia, per se nota, aliudè nota, vera, falso, certa, dubia, non quia ipsa formaliter in se, atque à parte rei sint talia formaliter, ut jam olim adverti Disp. 2. de Anima n. 96. & seqq. quivis namquæ mediocriter versatus in vocabulario Philosophico novit voces has significare qualitates quasdam competentes solis *Cognitionibus*, quibus pro tempore cognoscimus res, non autem rebus ipsis. Hæ namquæ quæcumque sint, sive arduissimæ, sive facilimæ, sive nobis familiares, sive omnino peregrinae, capaces sunt ex sua natura, ut cognoscantur à nobis cognitione vera, falsa, certa, probabili, evidente, obscura, per se nota, per aliud nota. Unde sicut per figuratam locutionem apponi solet actibus nostris nomen suorum objectorum, v. g. *Fides divina*, aut suorum principiorum, v. g. *Actio Divina*, *actio imprudens*, *actio rationalis*, &c. ita per figuratam quoquè locutionem solet dari objecto nomen proprium actus nostri v. g. *Spes mea*, *Gaudium meum*, &c. Significant igitur illæ voces *Evidens*, *Obscurum*, &c. Cognitiones, quas habemus de objecto, quod loquimur, vel quas habere debemus juxta circumstantias hic, & nunc præsentes. Unde quando dicimus *tali res est obscurissima est difficillima*, sensus est rationes, quæ occurunt contrâ ipsam, & carentia rationum aliarum ipsam apertientium, reddunt valdè difficilem, vel apprehensionem justam illius, vel assensum, vel utrumque. Quando dicimus *tali res est evidens*, sensus est, species, ac rationes suavissimæ hujus rei, vel cognitio ejusdem judicativa, tales sunt, ut locum non relinquant dubio de illa. Harum omnium qualitatum explicationem dedi Disp. 2. de Anima à cap. 6. Sunt itaqù reflexæ omnes hæc locutiones, quæ alias videntur directæ: videntur quippe procedere de objectis ipsis, & non procedunt nisi de cognitionibus, quibus hic & nunc

illæ repræsentantur; ut contingit etiam omnibus propositionibus affirmantibus, aut negantibus identitatem, aut distinctionem rationis, ut dicebam Disp. i. Log. Maioris cap. 5. Ratio à priori sumitur ex quidditate ipsa, & realitate, quas loco citato dedi, harum omnium denominationum, nam qui penetrat in quonam consistit hæc realitas, & quidditas, novit illico, quid enuntient propositiones, quæ has denominations affirmant, aut negant.

VIII. Igitur, ut dicebam in ea disputatione de Anima num. 105. rem esse per se notam, seu ex se, atquè ex suis terminis evidentem, non stat physicè, ac realiter in eo, quod ipsius veritas, aut falsitas objectiva, & transcendentalis (solet enim esse per se notum, atquè ex terminis evidens, falsam esse talem, aut talem rem, quia non sola judicia affirmativa, sed etiam negativa solent esse per se nota, seu ex terminis evidentia, v. g. *Non potest res esse*, & simul non esse, quia falsitas hujus simultatis est per se nota) non stat inquam in eo, quod res ipsa identificetur, aut intimè connectatur cum nostra ipsius cognitione, nequè hoc significatur illo *per se*, quia, ut nuper dicebam, non est veritas, aut falsitas ulla, quæ ex se non sit capax, ut à nobis cognoscatur clarissima, vel obscurissima cognitione: Et tota claritas, atque obscuritas, facilitas, atque difficultas, promptitudo, atque renitentia, quam habemus in intelligendo, hoc est in apprehendendo res, eisque assentiendo, vel dissentiendo, non stat in rebus ipsis, quibus alii solent protinus absque ulla difficultate assentire aut dissentire; sed stat in nobis ipsis, qui præoccupati aliis speciebus, rationibus, aut passionibus, vel parum, aut nil assueti rei, de qua est sermo, vel alio distracti, vel modicam habentes rationem ad repellendum sophismata, quæ solent insurgere contra illam rem, vel terminos, quibus nobis obversatur, non capientes, tardè movemur ad intelligendum rem illam, & tardius ad præstandum assensum, aut dissensum illi debitum: Quapropter esse veritatem per se notam, sive ex terminis evidentem stat physicè à parte rei in eo, quod termini, quibus res proponitur vulgo, & frequenter (non alii minus usitati) sint tales, ut absquè ulla ratione suavissima absque interventu discursus, illico assen-

assentitur intellectus, v. g. *Bis tria faciunt sex*. *Quodlibet est, vel non est*, aut illicè dissentitur si sermo sit de falsitate per se notā, atquè ex terminis evidente. v. g. *potest res esse, & simul non esse*, ubi aliud non requiritur, quam intelligere vocum significationem.

IX. Tunc sic argumentor pro prima parte Conclusionis scriptæ num. 6. Ergo existentiam DEI, ut unius esse per se notam viatoribus, seu esse per se notam quoad nos, ut loquitur S. Thomas absquè speciali eo lumine, quod ibi dicebam staret in eo, quod hi termini *Unus DEUS existit in rebus*, tales essent, ut absquè interventu discursus, absquè ulla ratione suasiva, eo solum, quod intelligetur ab homine eorum significatio protinus hic assentiretur, sicut protinus assentitur huic veritati *bis tria sunt sex*, & protinus dissentitur huic falsitati, *Res simul est, & non est*, eo solum, quod attendat, & ambo dicantur idiomate illi noto; Et sicut eo ipso, quod lux materialis offundatur objecto visibili, ac præsenti, oculus capax, & attentus videt illud absquè ullo alio argumento; Atqui res non ita contingit; alias sicut nemo, nisi terminorum inscius potest negare, vel dubitate *Quodlibet est, vel non est*. *Bis tria esse sex*, &c. Ita nemo, nisi ignarus significationis vocum, posset negare, vel dubitare, existentiam unius DEI. Unde peccatum Atheismi non tam foret insipientia moralis sicut quodvis aliud lethale, quam insipientia physica id est ignorantia significationis vocum; neque esset formaliter in se ipso peccatum, sed ad summum effectus & pœna peccati alicujus (v. g. omissionis studiositatis in discendo significationem illarum vocum) propter quod Deus obcäcaret physicè hominem, sicut obcäcaret mors, quam infligeret in pœnam alicujus peccati; Ergo sicut hæc mors non foret formaliter in se ipso peccatum, ita nequè Atheismus esset in se ipso peccatum, sed ignorantia physica, & qui negaret esse Deum, esset sicut qui, audiens rem sub idiomate sibi ignoto, negat illam, ubi ad summum est peccatum temeritatis. Ergo unum Deum existere, quamvis sit evidens, & demonstrabile; attamen non est per se notum, sicut *Quodlibet est, vel non est*; Ubi, ut vides non excuso absolute peccatum Atheismi, sed tamquam absur-

dum ingens infero ex opposita sententia excusationem hanc. Neque eam infero ex eo, quod non sit per se notum, quod ille negat (multa enim credere debemus, quæ non sunt per se nota) sed ex sententia asseverante existentiam unius DEI esse per se notam viatoribus, sicut *quodlibet est, vel non est*, infero, ut absurdum fore, ut Atheus non tam esset insipiens moraliter, quam insipiens physicè, & fore consequenter, ut non peccet actu formaliter in Atheismo, quippe non minor est ignorantia physicè negare, quod est per se notum, quam negare quod demonstratur. Tria sibi objicit S. Thomas contra hanc conclusionem, sed cum clara sint quoad difficultatem, & quoad solutionem, apud ipsum S. Doctorem Legi possunt.

CAPUT II.

Existentia, & authoritas DEI creduntur Fide.

X. Ico tertio. Quamvis S. Thomas doceat existentiam DEI (ut unius sanè) non esse articulum Fidei, sed præambulum ad hanc (quod postquam conatus est explicare Cajetanus ibi, monet Leñetorem *Esto cauus*) hoc non tollit, quod possit, debeatque credi per assentum Fidei Theologicæ. 1. Quia ratio, quæ S. Doctorem movit ad hoc dicendum, fuit inconjungibilitas scientiæ, ac Fidei, ut ibi objicit in primo illo argumento. *De monstratio*, inquit, *facit scire, Fides aut. art. 2. and. 1. p. qn. n.* *tem de non apparentibus est, ut patet per Apololum*; sed communis nostrorum sententia, quam explicui, & probavi Disp. 3. de Anima cap. 4. negat hanc inconjungibilitatem. Ergo negat motivum dicendi existentiam DEI non esse de Fide. 2. Quidquid modò sit de termino illo *articulus Fidei* siquidem non omnia, quæ sunt de Fide, dicuntur esse articuli Fidei, eò quia hæc vox significare solet illa quæ specialem nostram Fidem Christianam componunt quæquæ unicæ, aut præcipue ex Sacra Scriptura prout ab Ecclesia intelliguntur, constant; attamen omne illud, cuius negatio per hominem baptizatum esset hæresis, & destrueret habitum Fidei, & hominem illum subjiceret pœnis impositis contrâ hæreticos, est de Fide: quia sola negatio rei de Fide est hæresis, vel simplex,

plex, & ordinaria, vel Major, qualis est apostasia; aliarum namque veritatum negatio qualitatibus aliis afficitur, puta errore, sapore hæresis, &c. at negare esse DEUM esset hæresis, immo apostasia, si fieret ab homine baptizato & destrueret habitum Fidei, &c. ergo esse DEUM est de Fide. 3. Omne, quod Deus multoties supposuit in suis revelationibus, immo expressè asseruit, & quidem ex intentione, ut nos illud crederemus, potest ac debet credi per assensum Fidei Theologicæ, hoc est propter authoritatem ipsam DEI supponentis, vel afferentis illud. Hæc enim authoritas motivum est sufficiens, atque dignum, cui debetur hoc obsequium intentionale, alias ut quid supponit, aut asserit, si nequiremus credere propter suam suppositionem, & assertionem, quod asserit, vel supponit. At se esse passim supponit Deus in scripturis, in eis, quæ de se affirmat, aut negat, immo expressè asseruit, quando dixit: *Ego sum, qui sum;* Et rursus sic dices *Filius Israël qui es, miseri me.* Item *Vivo ego dicit Dominus,* & totum hoc ex intentione, ut menti habeamus insimum DEUM esse: 4. Hæc est sententia Augustini, qui referens sua antiqua dubia circa fidem inquit; *Me non sinebus ullis fluctibus cogitationis auferri, ab ea fide, quæ credebam, & esse te, & esse incommutabilem.*

*Exod. 3.
Isa. 49.
Lib. 7. con-
fess. cap. 7.*

XI. Sed occurrit gravis confestim difficultas. Nil, quod indispesabiliter præsupponitur jam notum pro priori ad assensum Fidei, creditur de novo per hunc: Ut quid enim vana hæc, & superflua repetitio assentiendi iterum rei, cui pro priori jam assentitum est? At DEUM esse indispesabiliter, supponitur jam notum pro priori ad omnem assensum Fidei Theologicæ (& consequenter pro priori ad hujusmodi assensum de existentia DEI, si assensus ille est possibilis) quoniam cum hujusmodi assensus sit propter authoritatem DEI loquentis, debet pro priori ad ipsum cognosci judicio certo, hæc authoritas DEI loquentis; Et in hoc eodem complexo ex autoritate, & locutione DEI imbibitur hujus existentia, vel aliquid intime præsupponens illam. Ergo DEUM esse non creditur per assensum Fidei Theologicæ. Confirmatur. Nullus assensus rei propter motivum A essentialiter supponens aliundè notam illam rem, est assensus purè adæquatè propter motivum A.

Quoniam evidens est, intellectum non assentire rei purè, præcisè, atque adæquatè propter A, quando actu assentitur eidem rei ac sub eadem expressione propter motivum aliud. Sed omnis assensus circa existentiam DEI propter hujus auctoritatem asseverantem illam, essentia-liter supponit aliunde, ac pro priori notam, hanc existentiam, quippe essentia-liter præsupponit notum, quod auctoritas ipsius DEI asseverat se existere & nequimus prænoscere auctoritatem DEI asseverare quidpiam, quin eo ipso præcognoscamus illum esse in rebus; nam licet multa dicamus propter auctoritatem Authorum, qui dixerunt illa, & jam non sunt in rebus, quippe qui mortui sunt, id non venit ad rem præsentem, quoniam si vera est nostra sententia, non solum debemus credere Fide Theologica DEUM modò in hoc instanti esse, quia id olim dixit, sed etiam olim fuisse in instanti A, quia olim id dixit in instanti A, in quo dixit: *Ego sum, qui sum;* Ergo nullus assensus circa existentiam DEI propter hujus auctoritatem asseverantem illam, est purè adæquatè propter hanc auctoritatem: Ergo nullus est purè fidei Divina; sed ad summum erit mixtus ex fide, & alio, puta, evidencia naturali, & consequenter prodire non poterit ex habitu infuso fidei, qui datur modò.

XII. Hæc, & similia argumenta, quæ impugnant fidem Theologicæ de existentia DEI impugnant similiter, & propter eandem rationem fidem Theologicam de sapientia, & veracitate DEI, & consequenter de hujus auctoritate in suis revelationibus, quandoquidem pro priori ad harum assensum prænosci debet auctoritas DEI in eo, quod dicit: Ergo prænosci debet, DEUM esse sapientem, & esse veracem; Ergo hæc duo attributa, aut alia illa, in quibus steterit auctoritas locutiva DEI, nequeunt credi fide Theologica. Ergo argumenta ista multum probant. Ergo nil. Respondeo ergo sicut respondi in tractatu de fide. Si per assensum fidei ad nil aliud aspiraret homo, quam ad notionem, ad securitatem, ad certitudinem objecti, hoc est ad intentionalem possessionem illius, vanum sanè, & superfluum esset imperium voluntatis de assensu illo, quando jam aliundè præsupponeretur possessio intentionis.

tentionalis illius. Cæterum assensus Fidei Theologicæ non est præcisè notio, securitas, & intentionalis possessio objeci, sed est insuper ex suo Caractere, differentiâque specifica, intellectuale obsequium, intellec[t]ualisque reverentia præstata personæ loquenti, consistens, non semper in hoc propter tuam authoritatem incipio credere, & faceri hoc, quod nunquam mihi venerat in mentem. Nequè semper in hoc propter tuam authoritatem repello, & protero difficultatem, quam habebam in hoc, quod modo mibi dicas, neque semper in hoc Etiamsi aliundè nefarem hoc, propter tuam solam authoritatem illud crederem. Tametsi enim hæc aut similia inveniri soleant explicitè, aut implicitè in multis assensibus Fidei; sed non in omni, semper, ac necessario(certe in assensibus Fidei, de quibus nunc, inveniri nequeunt) quidditas ergo, & realitas obsequii intentionalis, quod characteristicè imbibitur in assensu Fidei Theologicæ, præscindendo ab ornamenti, & perfectionibus, quas habere solet, stat in hoc.

XIII. Ea est authoritas DEI in omni penitus suo verbo, ut sit motivum plenum, & sufficiens ad credendum quidquid dixerit, sive facile, sive difficile, sive alias notum, sive ignotum, eo ipso quod sit moraliter certum dixisse (sed cum hæc moralis certitudo, evidensque credibilitas admittat magis, & minùs, & cum non necessitet intellectum ad assensum, datur locus conclusionis quam dedi Disp. i. de Fide, nimirum posse hereticum temere, ac imprudenter dissentire articulo A, quando superne adjutus assentitur articulo B per assensum Fidei Theologicæ) & cum sit moraliter certum, evidentèque credibile DEUM dixisse se esse, se vivere, se scire omnia, se abominari mendacium, hac de causa propter suam authoritatem præscindendo signatè, ac objectivè à quovis alio motivo, non verò exercitè, ac subjectivè (ut mox dicam ad Confirmationem) nequè excludendo positivè aliud motivum, creditur Fide Theologica DEUM esse, & vivum, sapientem, ac veracem esse, & assensus habet hunc modum tendendi purum ab omni alio, conceptus ab homine, cui pro priori est notum, DEUM esse, & authoritate dicta fungi. DEUS est quia ipse impotens falli, & fallere, dixit se esse. En obsequium inten-

tionale exhibuit DEO loquenti. En assensum præcidentem objectivè, ac signatè ab omni alio motivo, & reverentem, ut motivum plenum, sufficiens, adæquatum & proximum, authoritatem DEI in loquendo; sed non excludentem positivè ex suo modo tendendi omne aliud motivum quia hanc positivam exclusionem non poscit assensus Fidei. En assensum non præcidentem subjectivè, ac exercitè ab alio motivo, quia per suammet essentiam præsupponit notam ex aliis motivis existentiam, & authoritatem DEI, sed quod per suammet physicam entitatem id præsupponat, non obstat puritat Fidei; obstareret verò si ex suo modo tendendi præsupponeret alia motivi v. g. DEUS est, quia ipse dixit, & quia ad sunt tale, & tale motivum, sicut quod per suammet essentiam physicam præsupponat quilibet assensus Fidei Theologicæ evidentem credibilitatem Divina revelationis, intelligentiam naturalem terminorum, imperium voluntatis, rationes impellentes, & multa alia, non officit puritat Fidei Theologicæ (alias nullus daretur assensus Fidei purè Theologicæ) quamvis obstareret si reflectens super hæc, haberet hunc modum tendendi. DEUS est, quia ipse hoc dixit, & quia est evidenter credibile eum dixisse & quia sunt talia, & talia argumenta suadentia eum dixisse, & quia volo id credere; sicut enim hæc præsupponuntur ad assensum Fidei, ut conditiones prærequisitæ, sed non sunt objectum formem proximum illius; ita motiva evidenter suadentia Deum esse authoritatèque prædicta fungi, præsupponuntur quidem ad fidem Theologicam horum, ut conditiones prærequisita, sed non sunt objectum formale proximum illius.

XIV. Ratio hujus systematis est. Homo, cui propter alia motiva notum est DEUM existere, & eà authoritate frui, potest sic se gerere. Cum DEUS sit, & infinitè sit authoritatis in omni suo verbo, nullo excepto, ut jam aliundè notum habeo, & cum mihi sit evidenter credibile eum dixisse, se existere, & frui authoritate illa, & consequenter in his quoque exercuerit suam authoritatem locutricem: in his quoque volo præstare illi obsequium, & pro his quoque volo admittere suam authoritatem, unde volo credere DEUM esse, & habere dictam authoritatem, quia ipse impotens falli, & fallere, ut aliunde jam mihi notum est, dixit se esse, & habere autho-

authoritatem eam. Hoc imperio efficaci concepto intellectus potest concipere hunc actum. **DEUS** est, habetque illam autoritatem, quia ipse impotens falli, & falleres, haec dixit. Quod magnum absurdum sequetur ex hoc? si ex motivo obedientiae fecit per integrum annum Monachus ille actionem alias vanam, & superfluam, rigandi palum siccum! si ex motivo harmoniae solent musici repetere saepè saepius in eadem strope idem verbum; si ex motivis aliis frequenter repetimus cum emphasi iterum, atque iterum eandem penitus actionem

*3. Reg. 13. in specie, v. g. Altare, altare, &c. terra,
Jerem. 22. terra, terra, Item sanctus, sanctus, sanctus.*

Quid mirum quod ex motivo reverendi authoritatem Dei locutricem, in illis eiusdem, quae dignatus est loqui, repetamus iterum atque iterum assensum rei, jam aliunde notis nota & dicamus. *Hoc jam sciebam ego; sed de novo iudico, credo & amplector, & confiteor illud, quia DEUS impotens fallere, & falli, dignatus est hoc etiam dicere.* Quandoquidem ipse dignatus est, hoc etiam dicere, ratio sufficiens est haec, ut propter ipsum id fateamur. Oportet meminisse non esse damnandam vanitatis, ac superfluitatis actionem ex eo, quod minimè sit necessaria ad A, quando est utilis & necessaria ad B, prudenter expetibile, & factibile. Tunc sic.

XV. Prædictus assensus est possibilis. Est item honestus, ut videtur certum, ergo ad aliquam virtutem spectat; sed non ad aliam, quam ad Fidem Theologicam, ut constat ex hujus notione; ergo ad hanc spectat; ergo existentia, sapientia, & veracitas Dei possunt credi assensu Fidei Theologicae. Quod si in tuleris cuiuslibet viri sapientis, & veracis existentiam posse nos credere fide humana propter ipsius testimonium. Quandoquidem testimonium tui Collegæ v. g. dicentis tibi. *Sicut me vivere, est intimè etiam connexum cum ipsius vita, cum testimonium, seu locutio illa sit actus vitalis illius;* Unde præstare possemus obsequium intentionale cuilibet dicenti nobis. *Ego sum virsus,* credentes id propter illius vocem; Respondeo si ille in eo culmine sit prudentia, ut de illo non judicetur, temere, ac jocosè, sed prudentissime id nobis dicere, haec eadem sapientia, & prudentia dicentis, faceret in nobis prudentem assensum suæ vitæ propter suum testimonium; si enim, ut ponitur, non est im-

prudentia in illo affirmare se vivum esse, nec est imprudentia in nobis credere propter ipsius testimonii ipsum esse vivum. Sunt quippe haec correlativa. At Deus tantus est, ut de illo nequeamus adhuc suspicari, temere, vel jocosè dixisse nobis. *Vivo ego. Ego sum, qui sum, item se scire omnia, se esse veracem:* Ergo prudenter possumus nos judicare de novo, iterum atque iterum haec eadem propter suum testimonium. Dices: dixisse haec per modum monentis, in memoriamque nobis revocantis, quod jam aliunde scire debebamus, & quasi dicentis. *Memento me esse in rebus, me scire omnia;* sed non dixisse haec per modum interponentis suam autoritatem, ut propter illam nos crederemus haec. Permissò illo primo, nego hoc secundum. Tum quia sine dubio foret non solum insipiens philosophice, verum etiam haereticus formalis, atque ut talis puniendus, qui suppositis scripturis, evidentè ipsarum credibilitate, defenderet non esse DEUM. At haeresis formalis, ut distincta ab aliis culpis committi nequit absq[ue] negatione Divini testimonii afferentis, vel supponentis aliquid, & tam quod afferit, quam quod supponit, potest credi propter autoritatem ipsius. Ergo: tum quia si tibi dicenti: *Memento me nebis solem presentem,* alias negaret suppositum, non faceret injuriam tuæ autoritati in loquendo: faceret utique, quia non solum interponimus autoritatem in his, quae dicimus, sed etiam in his, quae dicendo supponimus, & tam careret Deus sapientia, vel veritate si aliquid fallum supponeret, quam si affereret expressè. Ergo, licet scripturæ illæ haberent sensum, quem dicas, credenda est Dei vita, & autoritas propter scripturas illas.

XVI. Quamobrem aliud est, quod nequeamus haec credere de DEo Fide Theologica, quin proprii nota habeamus illa. Et aliud, quod hac præsupposita notione nequeamus illa de novo credere ex novo motivo, nempè ex testimonio ipsius Dei sapientissime dicentis nobis illud idem, quod aliundè erat nobis notum, ita ut per hunc novum assensum exhibeamus Deo intentionale obsequium, quod prius non exhibueramus per naturalem illam notitiam. Illud primum est verum. Hoc secundum est fal-

falsum? Si enim nequimus credere hæc propter divinum testimonium, ut quid testificatus est illa Deus? Sed illud primum non obstat huic secundo. Quemadmodum potentia credendi per fidem mysteria Catholica, quin propriori noscamus illa esse evidenter credibilia, seu esse evidenter credibile DEUM revelasse illa non tollit, quod postea credamus illa per fidem purè Theologicam. Nempe quia hic assensus præsupponit quidem subjectivè, ut jam iterum dixi, atquè exercitè evidentiā illam credibilitatis, nec non hujus motivum, sed neutrum supponit signatè, ac objectivè, hoc est, non habet hanc tendentiam. Verbum caro factum est, quia est evidenter credibile DEUM docuisse hoc, neque hanc quia tale, aut tale datur motivum ad credendum illum id docuisse; Sed utroque hoc supposito, ut conditione prævia in intellectu, habet hanc tendentiam, quia DEUS impotens fallere, ac falli hoc docuit, ut aliunde exploratum mihi est. Et meminisse oportet actum intellectus, ac voluntatis non semper specificari formaliter in se ipso ab objecto formali remoto, sed à proximo adæquato. Idem in præsenti: Metaphysica evidētia existentia, atquè authoritatis Divinæ: præsupponitur subjectivè, atquè exercitè, ut conditio necessaria ad credendum utramque fide Theologica. Illà verò jam supposita, assensus, quem defendo, non est hic. Deus existit, & habet autoritatem in suis testimoniis, quia hoc est Metaphysicè evidens propter tale, aut tale motivum. Quia de isto palam pronuntio non esse actum Fidei Theologicæ; sed est hic. DEUS, &c. quia ipse, & existens, & hac autoritate fungens, (ut aliundè jam mihi notum erat) hoc idem testificatus est: Et quandoquidem hoc testificari non dedecuit ipsum, nec me dedecet credere hoc propter ipsius testimonium: nisi dicamus scripturas, in quibus Deus afferuit se esse, se scire omnia, &c. directas esse ad solos rudes, & mente captos, non verò ad Philosophos, aut Theologos.

XVII. Confirmatur I. Cum Fides sit plerumque de rebus obscuris, multos fellit apprehensio, quod nullo prorsus modo est fides, ubi non superatur aliqua difficultas propter autoritatem loquentis. Id est verissimum de fide meritoria, obscura, & acclivi valde intellectui no-

R. P. Ulloa, Theol: Tom: I.

stro, qualis plerumque est fides, quam habemus, & de qua loquitur Paulus qui sicut docuit fidem esse argumentum non apparentium; Ita ibidem docuit oportere credere de DEO, quia est & de qua etiam loquuntur Gregorius, Augustinus, & paſim scripturæ, ac Patres, qui non loquuntur sanè de conceptu quidditativo, & Metaphysico, omnis omnino fidei, quia hujusmodi Speculationes parum, vel nil curare solent scripturæ, ac Patres, ut potè rem non necessariam universalitati fidelium ad vitam æternam. Conceptus autem quidditativus fidei, ut complectentis omnem fidem Theologicam, non stat in obscuritate, arduitate rei, quæ creditur; sed in objecto formali, proximo, adæquato propter quod creditur, quod sit nimirum authoritas loquentis, hoc enim est specificativum, ac distinctivum Fidei in communi ab aliis assensibus; ergo sive res sit clara, sive obscura, sive facilis, sive difficilis, si illam mente suscipias proximè adæquate propter autoritatem loquentis. En quod voco fidem. Confirmatur II. In hoc etiam modo assentiendi est sua quoque non levis difficultas, & obsequium intentionale, non quidem quoad rem, quæ creditur, cum ponatur esse evidens, sed quoad circumstantiam, in qua creditur. Cum enim motivum metaphysicè evidens tantum robur authoritatis habeat apud intellectum nostrum, ad hoc ut ipso præsente, cætera alia motiva non attendantur, sicut solaris fulgor ad hoc, ut ipso præsente non attendantur stellæ (cere perspicacissimum oculum habere oportet, qui tunc stellas discernat) nubium fragor, ad hoc, ut non attendatur habenæ sonus, & Regia Majestas ad hoc, ut non attendatur nobilis privatus; non est levis difficultas nec leve obsequium personæ loquenti, si ad presentiam motivi Metaphysicè evidētis suscipiat intellectus rem propter ipsius etiam personæ testimonium, maximè quando hoc non est metaphysicè evidens; sed hoc contingit in assensu existentia, & authoritatis Divinæ propter hujus testimonium, quod profectò non est nobis metaphysicè evidens: Ergo in hoc assensu est etiam difficultas, & obsequium; si non quoad rem, quæ creditur; At in circumstantia, in qua creditur: Ergo arduitas illa fidei, quam toties appellant hæc adversarii, meritum & obsequium

quiū captivandi intellectum , duas habet exceptiones. Prima est , quod hoc non sit de conceptu omnis prorsus Fidei , sed illius duntaxat , de qua scriptura , ac PP. praecipue agunt , nempē Fidei Christianæ Catholicae. Secunda est , quod hæc difficultas *meritum* , & *obsequium* inventur quoquè in assensu harum rerum evidentium , ut nuper dicebam.

XVIII. Hinc respondet in forma ad argumentum scriptum num: 11. Major illa prout jacet in sensu universali est falsa , & probatio non est efficax , primo quia , ut exemplis humanis ac Divinis ostendit num: 14. repetitio ejusdem rei solet esse rationalis , & prudens , aut ratione emphasis majoris , aut ratione melodie , aut ratione obedientiae , aut ratione religionis , ut ibi dicebam. Et ratio est , quam dabam , nimurum. Actionem non esse absolute superfluitatis insimulandam ex eo , quod superflua sit ad unum , vel alterum finem , si utilis sit ad alium , rationabiliter expetibilem; Et hoc in praesenti. Quoniam licet assentire iterum , ac de novo rei per assensum fidei sit res superflua ad unum finem , videlicet ad noscendum , intentionaliterque possidendum rem , est tamen utile , ac necessarium ad alium finem rationabiliter expetibilem , scilicet ad præstandum obsequium intentionale DEO , assentiendo rei propter illius etiam testimoniū , licet hoc non sit metaphysicè evidens ; quandoquidem enim ille non estimavit superfluum dicere de se se esse , se esse sapientem , &c. nec nos debemus estimare rem superfluam , hoc idem credere propter ipsius verbum. Secundo , quia licet dictus assensus præsupponat rem jam notam , non præsupponit eam , ut notam ex autoritate DEI dicentis illam sed , ut notam ex principiis naturalibus : Sed hi duo modi noscendi res sunt valde diversi , non tantum materialiter , & philosophicè verum etiam formaliter , ac Theologicè ; Et assensus fidei est notio rei ex autoritate DEI illam dicentis. Ergo dictus assensus non præsupponit notam rem eo modo , quo per ipsum noscitur : Ergo illa non est mera repetitio. Videntur adversarii offendere ad hanc æquivocationem , quod assensus fidei nil aliud sit , quam intentionalis possessio , & certitudo sui objecti , cum meminisse debeat hoc esse prædicatum genericum illius ; specificum autem ,

& characteristicum staret in eo , quod sit proxime adæquate propter autoritatem DEI obiectum illud dicentis. Hoc autem non præsupponitur ad assensum fidei , quem defendimus , & hoc non est res vana , aut superflua. Ad confirmationem dico. Assensum illum non esse subjectivè exercitè , ac in seipso , purè adæquate propter motivum A , posse tamen esse signatè , atque objective propter motivum A , purè adæquate : Vide , quod dixi num: 16. de evidente credibilitate necessariò præsupponenda ad assensum fidei juxta ordinariam providentiam , quin propterea desinat esse purè adæquate propter autoritatem DEI assensus Fidei Theologice præsupponens illam credibilitatem.

CAPUT III.

Divina aeternitas combinata cum successivis.

XIX. Nolo uti illa alia voce *duratio* , P. Suarez Lib. 2. de Attrib. c. 4. qua uititur P. Suarez , quia vox ea imaginatione inclinat in rem successivā temporaliter , quæ longè distare debet à Deo , & facile est hominē corripi ab assueta imaginatione. Demum combinationi creaturarum cum aeternitate dabo caput sequens , duntaxat disputans modo combinationem hujus cum illis. Non fugit difficultas præsens velox Augustini ingenium , quod bene illam perspexit , quando scripsit. Lib: ii. Confess. cap: ii. Adhuc in præteritis , & futuris rerum motibus (en quod dicitur tempus) Cor eorum volitat , & adhuc vanum est . Quis tenebit illud , & figer illud , ut paululum sit , & paululum rapiat splendorem semper stantis aeternitatis , & comparet cum temporibus nunquam stantibus , & videat esse incomparabilem ? Et rursus sub finem illius capit. Quis tenebit Cor hominis , usque , & videat , quomodo stans dicet futura , & præterita tempora , nec futura , nec præterita aeternitas ? numquid manus mea valeat hoc ? aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem ? Porro difficultates sunt tres hic. Alia explicare , & probare ipsam indivisibilitem , ac simplicitatem semper stantis , & immobilis Aeternitatis divinæ. Alia combinare ipsam cum creaturis , quæ omnes successivè sunt : & aliæ quidem per se essentialiter , ut sunt ipsa durationes , sive , quod idem est , ipsa tempora , & instantia intrinseca. Tertia denique combinare cum ipsa creaturas in tempore , & per

& per tempus existentes (licet omnis combinatio, sive comparatio sit mutua; at non omnis sit eodem modo) id est per successivas indivisibiles durationes, sicut hujus cartæ & cuiusvis alius continuæ quantitativi particulæ sunt innumeræ, successivæ, ac indivisibiles.

XX. Hæ difficultates nascuntur ex triplici radice, quæ excusationi possunt esse nobis pro aliquibus modis loquendi, & pro aliquibus distinctionibus, quibus utemur constricti materiâ ipsâ. Primâ, loquimur modo de Æternitate Divina, quæ est perfectio, sive Attributum semper stans, invariatum, & fixum, incapax, ut subeat in seipso denominationes illas, quarum ab infantia fumus assueti in nobis ipsis, & in omnibus aliis creaturis, vide licet suisse, futurum esse. *Heri. Quondam. Cras. Postea, &c.* Ergo loquentes de obiecto, quod omnino est extrâ ordinem omnium aliorum nobis familiarium, ardua, & acclivis valde evadit sermocinatio, & locutiones etiam extrâ ordinem opus sunt. Secundâ, Loquimur etiam de tempore in hac materia, jam per verba illud consignantia, jam per voculas illud, & non aliud significantes. v. g. *Hunc: Modò. Hodie. De praesenti. In hoc instanti, &c.* Tempus autem est adeò difficile explicatu, ut acer Augustini mens Lib. II. Confess. expendat in ejus explicatione 15. capita, & post ardenter imploratum lumen ibi cap. 22. pro ænigma is enodatione, res satis difficilis manet; Ergo mirum non erit, si in re difficillima, difficiles alias proferamus enunciations. Non enim debet exigi à nobis tantum, quantum ab Augustino. Tertiâ, aspiramus in hac materia ad aliqualem combinationem stantis, atque invariabilis Æternitatis, cum tempore nunquam stante, sed majore velocitate, quam stellæ fixæ, transcurrente; Et hæc duo sunt invicem incomparabilia, ut numero antecedente ajebat Augustinus. Ecce tres radices praesentis difficultatis. Nè igitur expectes res facillimas, quando verfamur in difficillimis.

XXI. Explicatur. Oculus corporeus, qui non posset videre, nisi per vitrum nigrum patetur magnam difficultatem in discernendo colorem album, ut potè nigrum oppositum, & non nisi per reflexam cognitionem aliunde habitam agnosceret.

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.

homo ille colorem, quem inspicit esse album (siquidem medium, per quod inspicit proponeret illum colorem ut nigrum) atque deberet habere semper infinitam menti hanc reflexam cognitionem, nè raperetur in errorem ab illo vitro nigro, per quod inspicit colorem, qui in se ipso est albus. Hoc in praesenti. Imaginatio, & mens nostra, & consequenter lingua, magnam patitur difficultatem pro hoc statu in loquendo, & speculando Divinam Æternitatem. Quoniam ex una parte ea est simplex, indivisibilis, firma, permanens, & tota simul, ut jam dicam. Ex alia parte nec loqui, nec differere possumus de illa pro hoc statu, nisi per enunciations affirmativas, aut negativas. Utræquè constant verbo. Hoc consignificat tempus. Hoc cum sit numerus modi ^{Arist. 4. Phys. c. 20.} secundum prius, & posterius (numerus inquam, aut purè possibilis, si loquamur de tempore imaginario, aut verè existens modo suo, si de tempore reali) est essentialiter successivum, & transvolans. Est enim complexum resultans ex innumeris durationibus sibi invicem succendentibus quoad existendum, sicut hæc carta, & omne aliud continuum, est complexum resultans ex innumeris particulis invicem unitis, & sibi succendentibus quoad locum. Ergo pro hoc statu nec mente, nec verbis differere commodè possumus de Æternitate, nisi per medium, corripiens apprehensionem in rem essentialiter oppositam ipsi Æternitati, de qua verbis, ac mente differimus. Ecce casum videndi per vitrum nigrum colorem album. Ergo necesse est habere semper praesentem cognitionem reflexam aliunde acquitam, de eo, quod Æternitas Divina non est realiter in se ipsa, prout sonant termini, quibus de illa differimus. Quoniam si reflexa illa cognitione non sit nobis permanenter praefens, præcipitabunt nos illi termini in pravam apprehensionem, ac postea in pravum judicium de Divina ipsa Æternitate, de qua loquimur, & triumphabit adversarius adjutus eorum terminorum improprietate. Nequè fidendum est illi aienti, se jam scire hoc, & in bono sensu loqui. Hæc enim pulchra verba generosè pronunciantur initio, sed paulatim pauci oblivisci solemus, & sonantibus verbis solitam suam significationem, illis corripimur. Quid ergo faciendum? non

B 2

per-

permittere ullam propositionem in hac materia (extrà eam major indulgentia esse potest) quin castigetur severè, atquè per vim distinctionum aptetur rei præsentis. Hanc eandem difficultatem notavi in Prologo Disput. 2. Philosoph. naturali, & inferè tota ea Disputatione, quæ est de infinito, de quo loqui non possumus, nisi per terminos quorum assueti sumus ab infantia, qui omnes sunt de rebus finitis, & consequenter in ipso actu loquendi, ac disputandi obtrudunt menti nostræ speciem, ac imaginationem prorsus oppositam illi rei eidem, quam disputamus. En radicem detectam multarum captiōnum, quæ objici solent in utraque materia Æternitatis, atquè infinitatis, quam radicem nisi retundas per prædictam reflexam advertentiam, videlicet terminos, quibus disputamur, sensim sine sensu flectere imaginationem, & consequenter mentem in apprehensionem penitus oppositam rei ipsi, quæ disputatur, capieris ab adversario:

Serm. 3. de
Nativit.

Psal. 102.

XXII. Abigatur tamen procul, ut cum magno Leone loquar, terrenarum caligo rationis (phraseorum, sè verborum) & ab illuminante fidei oculo mundana sapientia (loquelæ) fumus abscedat. Divina est enim auctoritas, cui credimus, Divina est doctrina, quam sequimur, non agnoscentes in Divina Æternitate quoad se ipsam, & secundum sua intrinseca inspectam, heri, & cras, præteritum, aut futurum, quæ talia sint respectu DEI: hoc est, non agnoscentes in Deo successionem temporalem; sed unicam, simplicissimam, stantem, & invariabilem existentiam, quia ei dixit, qui sciebat quid diceret. Tu autem idem ipse es. Et quamvis immediatè addat: Anni tui non deficient. Ubi vox Anni successionem temporalem innuit, hoc fuit morem gerere vulgari nostro modo loquendi, cui frequenter se accommodat scriptura, ut quando DEO attribuit manus, pedes, caput, canos, iram, pœnitentiam, &c. Audiatur Augustinus sic alloquens DEUM. Quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies, & quam multi jam dies nostri, & parentum nostrorum per hodiernum diem transferunt, &c. tu autem idem ipse es, & omnia crastina, atque ultra omnia quæ hæsterna, & retro, hodiè facies, hodie fecisti. Nota modo. Quid ad me; si quis non intelligat? gaudeat, & ipse dicens, quid

Lib. 1. Con-
fess. cap. 6.

est hoc, &c. Quod si dixeris animas nostras easdem esse, sicut etiam Angelos, tametsi successivè, atquè per tempus intrinsecum durent; Respondebo easdem semper esse quoad essentiam, quod communis est omnibus aliis rebus; item easdem esse quoad intrinsecam unionem in ordine ad nos, qui non percipimus intrinsecam illarum mutationem stantem in continua mutatione unionum intrinsecarum cum novis, & novis suis durationibus; item easdem esse quoad se moraliter, quia duratio immediate succedens durationi A. v. g. cum sit ejusdem prorsus specie, cuius est A, nihilo speciali mutat intrinsecæ animas; cæterum, non esse easdem physicæ, ac materialiter quoad unionem, omnem: quia cum duratio, seu tempus intrinsecum illarum consistat physicè in serie indivisibilium, & successivarum creationum intrinsecè unitarum ipsis animabus, quibus continuè producuntur à D E O (quoniam duratio, sive conservatio est continua productio, ut explicu in Phys. speculat. Disp. 4. n. 13, & seqq.) & cum hæ creationes singulis instantibus mutentur physicæ, imo cum ipsæ sint illud quod vocatur instans, seu tempus intrinsecum, quippè non apparet aliud, in quo ponatur hoc: inde fit, quod animæ nostræ sunt in continua mutatione intrinseca quoad unionem aliquam qua utique mutationis species repugnat Deo, ut jam dicam.

XXIII. Oportet ergò propter difficultatem ipsam, specialemq; naturam rei præsentis insinuatam rationibus scriptis, n. 20. & 21. ut quandoquè (sed non paſsim, ac temerè) uno, vel altero extraordinario modo loquendi; nequè id est novum & inauditum; quoniam idem solemus facere in materia Trinitatis sanctissimæ v.g. Æternus Pater est aliud, sed non aliud à Filio. Persona Divina non sunt Omnipotentes, sed Omnipotens non sunt immenses, sed immensus. Non sunt æternæ, sed æternus, &c. Ubi grammatica universalis cedit fidei, & rationi Theologicæ; atquè negotium non multò minùs facit imaginationi, quod una forma, aut quasi forma absquè successione in se, & quoad se, sit ratio formalis coexistendi rebus, quæ quoad tempus, & quoad locum successivæ sunt (& consequenter sit æquivalenter multiplex quoad hoc, cum sit entitativè in se unica, & simplex) quam quod una simplex res identificat.

tificetur cum rebus invicem distinctis, & consequenter sit in hoc sensu multiplex virtualiter, ergo nequè novum, nequè inauditum esse debet, si quandoquè ratione specialis difficultatis rei præsentis utimur in ea aliquo extraordinario modo loquendi.

XXIV. His, quæ viam complanant, præmissis. Dico i. quamvis Deus quod nos, id est secundum nostrum commune vocabularium, & secundum abstractivas species, quibus eum cognoscimus, fueri heri v. g. & futurus fit cras: Attamen in se, & quoad se castigatequè loquendo, nequè fuit, nequè futurus est, sed est semper; quoniam à rebus successivè existentibus, & temporibus ipsis essentialiter successivis, coëxistit ratione attributi Æternitatis, quæ est unica, simplex indivisibilis, atquè semperstans, & nunquam variabilis. Probo primam partem tripartitæ conclusionis. Eo modo loqui solent scripturæ v. g. Joannes.

Quod fuit ab initio. Item. In principio erat Verbum. Item.

Ab aeterno ordinata sum. Similiter loquitur

Pro. s. DEO de futuro David, aut Asaph. Tu Psalm. 81. hæreditabis in omnibus genibus. Id est, tu eris, tu vives post mortuas gentes omnes. Et sic loquuntur frequenter scripturæ, sicut loquuntur etiam, ut dicebam nuper de Deo, ut habente cor, brachia lessivæ, Canos, &c. nempe loquuntur secundum commune vocabularium hominum, ad quos (& non semper ad Angelos) loquebantur, relinquentes eis, quos Deus voluit, intelligentiam, & explicationem phraseon harum, ut nos ex illis discentes, quod alias non caperemus, foedus, & commercium humanum fortius stringeretur ex hac parte: Unde utens scriptura eis modis loquendi, non inducit nos in errorem, quia simul providit explicationem illorum. Valet etiam Augustiniandum illud.

S. Aug. 17. cap. de facillmē intelliguntur, ver. Relig. nec studiosè quereretur,

Iudem 6. bonus est testis Augustinus ipse, qui in Conf. c. 4. juventute clamans validè contrà Ecclesiæ ob malè intellectas phrases multas scripturæ, audiens postea ab Ambrosio illarum explicationem, salubriter erubuit, & Ambrosium dilexit. Ratio autem illius partis primæ est. Ad explicandum existentiam hæsternam v. g. rei alicujus,

non habemus, nisi verba de præterito: &

similiter ad explicandum existentiam crastinam, non habemus in nostro vocabulario nisi verba de futuro: Ergo loquens Deus in scripturis non tam cum Angelis, quam cum hominibus, & volens intelligi ab his in mensura per suam providentiam statuta circa sempiternam suam existentiam, sapienter utitur vocibus de præterito, ac de futuro ad eam exprimendam; quemadmodum si Aulicus disertissimus, imò si Rex ipse, dignaretur loqui cum homine Sylvestri, aut montano, & vellet aliquatenus intelligi ab hoc, parcens stylo Aulico, Montano, aut Sylvestri, uti deberet. Juxta vulgarem igitur nostrum modum loquendi, & juxta abstractivas species, quibus cognoscimus Æternitatem Dei instar rei percurrentis longissimam seriem successivarum durationum, Deus fuit, & Deus erit.

XXV. Probo secundam partem i. ex Augustino, qui in Colloquio cum sancta sua Matre ajebat de Divina sapientia.

Quin potius fuisse, aut futurum esse non est in ea; Lib. 2. *sed esse solum, quoniam æterna est.* Nam fuisse, Conf. c. 10.

& futurum esse non est æternum: Idem dicendum de Deo, ejusquæ Æternitate. Et postea arguens nomine quorundam, ut certum tamen asserit hoc. *Si exortum est Lib. 11. aliquid in DEI substantia, quod prius non erat, cap. 22. non veraciter dicitur æterna illa substantia:* Atqui si Deus in se, & quoad se fuisse aut futurus effet, exoriretur aliquid in DEI substantia, quod prius non erat, nimurum successio, quam essentialiter imbibit fuisse & futurum esse (quæ successio, cum nequiret esse quid creatum, alias res creata fuisse ab aeterno in hac etiam providentia & Deus existeret per formam creatam, quæ duo admitti non possunt, deberet esse intrâ ipsum Deum) Ergo Deus in se, & quoad se, nequè fuit, nequè erit castigate loquendo. Quare meritò præfigit Augustinus illi capiti II. hunc titulum. *Æternitas DEI nesci tempora;* ubi scribit, quæ ex ipso transcripti num. 19. Dices fuisse, & futurum esse dicunt unum positivum, nempe existentiam rei, alterum negativum, scilicet rem non existere nunc; Ergo quamvis de re existente nunc, verificari nequeat fuisse, aut futurum esse secundum negativum, possunt haec verificari secundum positivum. Distinguo consequens, de re existente per successivas durationes, qualis est omnis creatura concedo. De

te exi-

re existente per unicam simplicem, immobilem, & semper stantem Aeternitatem nego. Quia fuisse, aut futurum esse semper dicit defectum, aut rei ipsius, aut aliquujus sua durationis praeteritae, aut futurae: quia in hoc solo, & propter hoc solum stat quod creatura fuerit, aut futura sit, si enim nec creatura ipsa nec ulla sua duratio deficit, nequit dici illam fuisse, aut futuram esse. Ast est impossibile, quod detur defectus ullius durationis, qua sit propria rei Aeternae ratione unius simplicis Aeternitatis, & hoc modo est Deus Aeternus: Ergo. Nequè objicias Joannem dicentem Apocalypsi i. Qui est, qui erat; aut Paulum scribentem ad Hebreos 13. Jesus Christus heri, & hodie; nam si ambo loquuntur de Christo, quoad humanitatem, jam vides textus non esse contra me. Si quoad Divinitatem, loquuntur de illa secundum communem modum loquendi, de quo egli num: antecedente, sicut etiam loquitur, qui dicit DEO Psalm. 101. Anni ui, & Psal. 76. Annos aeternos, montes aeternos: quod si durum tibi videatur Deum, castigatè loquendo, nec fuisse, nec futurum esse in se, & quoad se, praeterquam quod jam audisti nuper Augustinum loquendo de sapientia Divina id negare de illa, & praeter quamquam ista difficultas nascitur ex natura ipsa Aeternitatis, quæ incapax est successionum temporalium; praeter ista inquam respondebo, Deum fuisse, ac futurum esse, in sensu tamen, quem dabo num. 29. interea tamen sic loqui volo cum Augustino.

XXVI. Ratio Theologica pro hac secunda parte potest esse. Omne, quod ex sua quidditate habuerit ita esse in ipsis successionibus, & variationibus temporum, ut non sit ibi per successiones, & varietates, sed per perfectionem immunem ab omni varietate, & successione, ex sua habet quidditate, quod incapax sit, ut in se, & quoad se fuerit, aut futurum sit: Quoniam haec duo manifestè dicunt successionem rei, de qua enunciantur, successio namque in existendo, vel est ens rationis, vel consistit physicè ex parte rerum in eo, quod res, vel ipsius aliqua duratio prius quidem fuerit, & postea futura sit. At Deus ex sua quidditate habet ita esse quoad se, atque in se in ipsis etiam successionibus & varietatibus temporum (quando haec sunt) ut non sit

ibi per successiones, & varietates, sed per attributum, ac perfectionem, id est per suam aeternitatem, immunem ab omni varietate, ac successione. Probatur. Omne, quod ex sua quidditate habet esse (quoad se, ac in se) immune ab omni corruptibilitate, & mutabilitate ex sua quidditate habet ita esse (quoad se, & in se) in ipsis etiam successionibus creaturarum, quando haec sunt, ut non sit ibi per successiones, sed per attributum, sive per existentiam immunem ab omni varietate, ac successione: quippe haec non habent locum, nisi in rebus, vel saltem durationibus mutabilibus, & corruptibilibus, hoc est simpliciter defectibilibus. At Deus ex sua quidditate habet ita esse (quoad se, & in se) in ipsis creaturarum successionibus, quando haec dantur, ut non sit ibi per successiones, sed per existentiam immunem ab eis. 1. Quia ut suprà dicebam haec successiones, vel sunt entitativè Divinae; vel entitativè creatæ. Si primum, continuè deficiunt, & annihilantur, vel corrumpuntur res entitativè Divinae. Si secundum Deus durat & existit per res entitativè creatas, & haec sunt ab aeterno, & ambo sunt absurdæ. 2. Quia Deus ex sua quidditate expers est omnis compositionis realis eum sit actus simplicissimus. At illam haberet in seipso, si in se, & quoad se existeret per successivam, & variabilem existentiæ, nam continuè deficeret ipsi una sua duratio, & adveniret alia; Ergo. 3. Quia Deus ex sua quidditate habet fungi omni perfectione simpliciter simplici, cuius character est, quod sit melior ipsa, quam non ipsa; At esse in se, & quoad se (quid quid sit de nostro modo loquendi, de nostrisq; abstractiis speciebus) in ipsis etiam creaturarum successionibus per existentiam ab eis immunem, est perfectio simpliciter simplex. Constat ex Augustino ajente: Cum autem verisimile atque certissime incorruptibile corruptibili præponatur, &c. Et rursus ibidem. Ut quid multa dicimus, cur non sit corruptibilis substantia, quæ DEUS est, quando si hoc esset, non esset DEUS. Et loquens de potentia rationali, cum sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili. Et saepè alibi repetit hoc, ut rem evidentem, Ergo. Quod dicit S. Doctor de substantia Divina, dico de existentia, & aeternitate. Nempè fore, ut si haberent in

se

Lib. 7.
Confess:
cap. 4.
ibid. c. 17.

se ipsis successionem, & mutabilitatem, & consequenter corruptionem unarum particularum, quibus durarent, & novum, atque novum altiarum adventum, existentia, & æternitas DEI non forent perfectio simpliciter simplex, quia non forent ipsæ meliores, quam non ipsæ. Quandoquidem forent mutabiles, & ratio naturalis clamat incommutabile præferendum esse mutabili.

XXVII. Hinc 1. Non nego DEUM, & suam æternitatem coëxistere omnibus successionibus temporalibus, quæ aliquando sunt: sed solum nego coëxistere eis per ipsum DEI successiones, & mutationes, tèū per tempus, quod sit tempus ipsius DEI. Et quia hæc propositio, *DEUS est in tali, aut tali tempore v. g. est hodie, fuit heri, erit cras*, solet rapere imaginationem, in id, quod Deus sit in tempore, *per ipsum tempus*, sit hodiè per divinum aliquid, quod præcisè sit hodiernum, fuerit heri per divinum aliquid, quod præcisè sit hesternum, &c. hac de causa solet negari illa propositio, aut claritatis gratia distingui. Deus est in tali aut tali tempore, per aliquid, quod sit tempus DEI, quod sit præcisè heri DEI, quod sit præcisè hodiè DEI, quod sit præcisè cras DEI nego. Per indivisibile, simplex, invariatum, & semper stans attributum æternitatis concedo. Sic Deus est physicè præsens localiter in cunctis successivis locis, quæ sunt. Ait non est per successivas præsentias, ita ut detur præsenta Divina Romana in se ipsa, quæ non sit Madritana, & Madritana, quæ non sit in se ipsa Romana, sed per unicum simplex, & indivisum attributum immensitatis, & sic potest dici DEUM cognoscere futura in æternitate sumpto illo in, non utique objecive, quasi æternitas sit medium objecтивum, in quo Deus agnoscit futura, sicut hæc solet dici, quod cognoscuntur *in sua causa*, sed sumpto subjectivæ; quatenus Deus semper existens, non ratione attributi, quod sit successivum, quale est omne tempus, sed ratione attributi permanentis, indivisi, simplicis, ac semper stantis, & quasi centri immobilis respondentis plurimis lineis, quarum unae sunt post, aliæ ante alias sic inquam semper existens cognoscit futura: sed de hoc postea.

XXVIII. Hinc 2. Cum in re ipsa conveniamus facile, & cum primaria difficultas sit in sola explicatione hujus rei,

ne terminis irretiamur, oportet distingue-re duos modos loquendi. Interdum lo-quimur in hac materia per propositiones constantes quibusdam voculis, quæ cum non aliud significant, quam tempus, aut particulas temporis, nequimus præscindere significatum earum à tempore, vel temporis particulis. Tales sunt hæc. Modò. Nunc. In hoc instanti. Hodie. Heri, Cras. Quondam. Postea, & similes Propositiones enunciantes existentiam DEI cum aliqua ex his particulis (quas si præ-scindas à significatione temporis, restabunt significantes nil, quandoquidem non significant aliud, quam particulas temporis) sunt, quas dixi numero ante-cedente, solere negari, aut claritatis gra-tia distingui per terminos ibi datos. Interdum loquimur per propositiones enun-ciantes existentiam DEI solo verbo sub-stantivo absq[ue] istis particulis restrin-gentibus; & hoc dupliciter, vel quia incipiunt à creaturis, ponentes, ut subje-ctum illas v. g. *Adamus, & ultimus nasciturus homo sunt præsentes*, nec non coëxistunt DEO, hujusquæ Æternitati, & de his loquar posteā; vel quia incipiunt à DEO, po-nentes hunc, ut subjectum v. g. *Æternitas DEI fuit, est, erit, esset, &c.* De his di-co. Cum verbum ex sua definitione ha-beat consignificare tempus, possumus præscindere in eis aut realiter, aut saltem mentaliter duo. Unum est significatum di-rectum, & primarium verbi ipsius, quod in re præsenti est sola existentia DEI. Alterum est consignificatum verbi, quod con-significatum est tempus quandoquæ præteritum, quandoquæ præsens, quandoquæ futurum.

XXIX. Igitur hæc propositiones sunt veræ. 1. Si verbum accipiatur secundum solum suum significatum directum, & primarium. Quia hoc est sola existen-tia DEI, & hæc verè enunciatur de DEO. 2. Si verbum accipiatur secundum solum suum consignificatum quod est tempus, aut temporis particula, ita tamen, ut nequæ tempus nequæ temporis illa particula enuncietur de DEO, quasi hic existat per attributum, sive per rem, quæ sit succe-siva, sicut existimus nos: & quia hoc solet enunciari, quando res dicitur existere in tempore extitisse, aut extitura esse nempe rem existere per formam successi-vam, hac de causa intelligendum est sub-expli-

explicatione data num: 27. DEUM extitisse, aut extitum esse. Prona quippe est mens humana ad apprehendendum hic, & nunc, nisi hic, & nunc: disticte, atque expresse cohibeatur, id quod ab infantia, & in omnibus aliis rebus solita est apprehendere. Nequè sufficit, quod initio supponatur rectus terminorum sensus, quia calore disputationis facilem oblivisci solemus suppositionum initio factarum, & termini hic, & nunc sonantes dominantur violentius apprehensioni, quam suppositiones initio factæ. Vide num. 21. sunt autem falsæ illæ propositiones, si verbum accipitur secundum suum consignificatum tribuendo illud DEO, quia licet hic coexistat omni tempori, & omni creaturæ existenti in tempore, & per tempus, & licet interdum dicatur, quod existat in omni tempore, sicut etiam immensitas existit in omnibus locis inter se successivis; at non existit per tempus, id est per rem fluxam, sed per attributum semper stans, firmum, & invariabile, ut dicebam num: 27. Dices res existere successivè est existere heri, hodie, cras, hoc est in mensuris successivis, quia sic existimus nos successivè: sed Deus verè in se, & quoad se, existit heri, hodie, & cras, &c. ergo in se, & quoad se existit successivè. Distinguo majorem. Rem existere successivò successione extrinsecā & materiali, id est, quæ propria est illius, in quo res existit concedo, & in hoc sensu Deus existit successivè, nempe in instantibus successivis, sicut etiam in locis, quæ inter se sunt successiva: successione intrinsecā, quæquè sit propria formæ, qua res existit, nego. Quia sicut ex successione locali non sequitur localis successio in forma, qua res est in loco, cum hæc possit esse indivisibilis: ita ex ista altera successione: & permissa minore, distinguo similiter consequens.

XXX. Probo jam tertiam partem conclusionis scriptæ num: 24, quæ firmat modo dicta explicando difficultatem, quæ est in eo, quod simplex, & indivisibile attributum Aeternitatis coexistat absquè successione sui rebus successivis. DEUM ratione unicæ, simplicis, semper stantis, atquè invariabilis Aeternitatis, coexistere rebus, & temporibus successivis, est quid metaphysicè possibile. Tum quia in hoc non probatur absurdum ul-

lum, ut mox exponere conabor. Tum propter autoritatem Augustini datam num: 25. Tum propter tres rationes Theologicas scriptas num: 26. Deinde hic modus coexistingi rebus, & temporibus successivis magis commendat perfectiōnem divinam, cum sit perfectio simpli citer simplex. Ergo ille tenendus est: sed quomodo contingit hoc? Quatuor tibi propono exempla, in quibus tamen suppono te non aspirare ad exactam similitudinem, sed sola proportione aliqua contentum esse debere. 1. Tametsi loca tum intrinsecā, tum extrinsecā realia, (de spatiis imaginariis satis egi in Philos. Natur. Disput. 4. n. 168. & seqq.) hujus mundi sint inter se distantissima, & localiter successiva, alia ante, alia post, alia supra, alia infra, alia dextra, alia sinistra; verumtamen in omnibus illis est physice, ac realiter præsens Deus absquè successione, aut distantia ulla locali in se, & quoad se; nempe quia non est in illis per successivas sui ipsius præsentias, sed per unicum simplex, ac indivisibile attributum *Immensitas*. Quod de immensitate in ordine ad loca successiva, dico de aeternitate in ordine ad successiva tempora & successivas alias creature. Videlicet DEUM illis omnibus coexistere absquè successione in se, & quoad se, quia non coexistit illis per formam aliquam, quæ sit *successiva existentia DEI*, sed per simplicem, semper stantem, atquè immutabilem aeternitatem. Unde si forsitan dicimus aliquando DEUM coexistinge diei hesterno, aut coextitum crastino, absit, quod intelligatur heri, aut cras divina, quia in DEO non datur successio, ut auctoritate, ac ratione probavi num. 25. & seqq. item absit quod intelligatur, DEUM extitisse per heri creatum, aut extitum per cras creatum, quia incapax est existendi per durationes creatas; sed intelligendum est, illum fuisse, & futurum esse per indivisibilem suam aeternitatem, quam non possumus ob penuriam vocum explicare nisi utendo quandoquè vocibus de præterito, ac de futuro, agnoscentes tamen reflexè DEUM, nec esse, nec possè esse præteritum, aut futurum: sicut cognoscentes DEUM, & Angelos non esse corporeos ob penuriam tamen vocum, atquè ob species improprias, & abstractivas, quibus illos cognoscimus, agnoscere.

agnoscimus illos per modum corporis; similiter diffiero de immensitate, & de æternitate. Ratione illius est DEUS ubique, & ratione hujus est DEUS semper. Sed nequæ ubiquitatem possumus explicare, nisi per nostra assueta *hic, ibi, alibi*; nec æternitatem, nisi per nostra assueta *hunc, trax, &c.*

XXXI. Sed, quia posset aliquis dicere eandem esse difficultatem in Immensitate, atque in Æternitate, accipe secundum exemplum. Anima nostra est entitativè simplex, ac indivisibilis, ut probavi cum aliis Disp. I. de Animalia n. 21. & seqq. At qui est physicè, ac realiter in illo individuo loco, in quo est subiectum, quod reddit vivum, & cui physicè unitur, & cum quo intimè penetratur; reddit autem viva caput; brachia, manus, pedes, &c. & hæc omnia informat, & cum his omnibus physicè unitur, ac penetratur, quæ tamen omnia sunt in locis distinctis, & distantibus invicem, habentib[us]que inter se ordinem prioris, & posterioris quoad locum; Ergo anima ipsa nostra absque successione locali in se, & quoad se, est simul in locis successivis, ac inter se distantibus: Quid ergo mirum, quod simplex, ac indivisa immensitas absque successione locali sui ipsius sit simul praesens temporibus mutuò successivis? Igitur quemadmodum anima nostra licet existat in capite, quod per aliquot palmos distat à pedibus, specificativè sumpta coëxistit quoad locum his, licet distet reduplicativè ut existens in capite, quippe sic reduplicat caput, quod utique distat à pedibus. Ita immensitas existens Romæ, quæ multis leucis distat à Madrito, specificativè sumpta coëxistit quoad locum Madrito quamvis reduplicativè, ut existens Romæ distet à Madrito, quippe hæc distantia non enunciatur tunc de immensitate, sed de complexo ex illa, & ex Roma. Et Æternitas licet coëxistens diei hodierno distanti temporaliter à primo, & ab ultimo homine, ipsa specificativè sumpta utriquè homini coëxistit, quamvis non reduplicativè ut coëxistens diei hodierno, quia tunc negatur ea coëxistentia, non de sempiternitate, sed de complexo ex illa, & ex die hodierno.

XXXII. Tertium exemplum. Con-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.

sidera duos polos mundi: quam diversæ, & successivæ quoad loca, & inter se distantantes, imò, & mutuò oppositæ lineæ, atquè stellæ circumvolvuntur illis; & tamen illi immobiles, invariati, ac semperstantes, aequæ respiciunt simul illas, & aequalē proportionem, ordinem, sive habitudinem habent cum illis postquam transferunt nostrum hemispherium, & quando nondum pervenerunt ad illud, ac quando in illo sunt nobis præsentes, tametsi ex lineæ, ac stellæ mutant loca singulis momentis. Idem respectivè dico de centro volubilis rotæ, quod sanè eandem proportionem, habitudinemque localem conservat in se, & quoad se cum radiis rotæ, sive sint supra, sive sint infra, sive in hoc, sive in illo latere. Nempe quia centrum, & poli non sunt in eis locis per motum localem successivum, qui proprius sit, aut ipsorum, aut illarum linearum, vel radiorum. Quid ergo mirum, quod Deus instar centri, sive poli omnium creaturarum, eandem (quoad se, & in se) proportionem, seu habitudinem habeat cum creaturis volubilibus quoad existentiam, quæ jam transferunt nostrum Emispherium, id est jam non coëxistunt nobis, & cum illis, quæ nondum factæ sunt, id est nondum pervenerunt ad coëxistendum nobiscum: eandem inquam habitudinem, sive proportionem existentialem, quam habet cum creaturis nobis coëxistentibus! certè ipse est Rex, de quo dicit Evangelium loquens de mortuis: *Omnes vivunt ei.* Nempe existit DEUS rationale immutabilis, ac semper stantis æternitatis, non verò ratione ullius motus temporalis, qui sit proprius Dei ipsius, aut suarum creaturarum.

XXXIII. Quartum exemplum, quamvis rude etiam sicut priora habes modo ante oculos, estque simile ei, quo utitur S. Thomas (sphærâ utique æneâ, vel etiam papyraceâ sunt contenti Principes astronomiæ ad explicandum utcumque sphæras ipsas cœlestes) In hac papyro vides alias lineas post, & alias ante alias, & in singulis lineis alias litteras post, & alias ante alias. Tametsi lineæ ipsæ inter se atquè litteræ inter se habeant successionem localem, & consequenter una linea sit quoad locum præterita respectu C alius,

alius, & quoad locum futura respectu
alius (idem de litteris) item quamvis
hanc eandem localem præteritionem, &
futuritionem haberent respectu tuae vi-
sionis ocularis, si hæc esset admixta ipsis
lineis, & litteras per successivas praesen-
tias; verumtamen, quia illa stat inva-
riata in pupilla oculi tui, & est immu-
nis à successione praesentiarum intrà li-
neas, & litteras, quas intueris, hac de
causa visio tua ocularis, neque respectu
linearum, neque respectu litterarum ha-
bet localem successionem (quando im-
motos habet oculos) ita ut aliae sint post,
aliae ante visionem tuam; quinimmo si-
mul similitate subjectiva, & visionis ip-
sis, licet non simul simultate objectiva,
& linearum ipsarum, aut litterarum, utrámque
successionem intueris; quod de similitate visionis combinata cum suc-
cessione locali, dico etiam de similitate
divinæ æternitatis combinata cum suc-
cessione existentiæ. An verò simul ha-
beat DEUS physicè praesentes omnes
creaturas, quæ fuerunt, quæquè erunt,
quæ similitas importare videtur actualem
existentiæ creaturarum dicam capite se-
quentे. Quippe modo solum contendo
DEUM eodem prorsus modo, (quoad
se, ac in se) coexistere semper creaturis
successivè existentibus, ac deficientibus,
nec non temporibus ipsis essentialiter suc-
cessivis. Quod exemplis his sufficienter
explicatur, quemadmodum sphæra ænea,
ut dicebam, explicari solet sphæra cœ-
lestis.

CAPUT IV.

Successiva combinata cum æter-
nitate.

XXXIV.

Hæc est altera combinatio, quam
pollicitus sum num. 19. S. Thom-
as disputans, utrum scientia Dei sit fu-
turorum contingentium, dixit in corpo-
re illius articuli per modum corollarii, at-
quæ in response ad 3. repetivit obiter,
omnia quæ fiunt in tempore esse præsen-
tia æternitati, & in hac cognoscere
DEUM illa omnia; arripuit protinus Sco-
tus hoc, & quatuor validis argumentis
Cajet. ibi. impugnavit. Cajetanus autem post-
quam fassus est obscuritatem rei, & quod
se per quindecim fortè annos latuerit
mens S. Thomæ, & quod nullus ex fo-

ciis verbo, aut scripto illam aperuisset,
accinxit se ad aperiendum illam. En-
radicem famosæ illius quæstionis. An
futura contingentia sint Deo præsentia in
æternitate, & an, in hac cognoscat
DEUS creature? (& quidem sive ali-
quando existentes, sive mere possibles,
quia de utrisquè censeo idem, quamvis
S. Thomas de solis aliquando existenti-
bus loquatur ibi, quoniam de his solis ibi
disputabat) origo hujus quæstionis est
propositio obiter dicta à S. Doctore inter
probandum & defendendum conclusio-
nem principalem, videlicet DEUM ha-
bere scientiam futurorum contingentium.
Sic ex parvis initis magni amnes fluere
solent. Quod attinet ad cognitionem
creaturarum in æternitate, sive aliquan-
do, sive nunquam extiturarum, jam dixi
num: 27. quod verum reor: DEUS in
æternitate cognoscit omnes prorsus crea-
turas, tam futuras, quam non futuras *in
etate* subjectiva, & se habente ex parte
ipsius Dei: quatenus hic existens in æ-
ternitate, & per æternitatem indivisi re-
spondentem omnibus successionibus tem-
poralibus (sicut indivisum centrum re-
spondet successivis, & reciproce adversis
lineis à peripheria ductis, & sicut poli
mundi indivisi, atque æqualiter respon-
dent successivis, & invicem adversis cir-
culis, ac stellis aliis praesentibus nostro
hemisphério, aliis præteritis, aliis futu-
ris respectu illius) cognoscit omnes omni-
nō creature. Sicut etiam in cœlo, imo,
& in hoc loco, ubi ego sum, cognoscit
omnia, quæ fiunt in toto mundo; sed
quemadmodum, neque in cœlo, neque
in hoc loco cognoscit omnes creature *in
etate* medii, quasi cœlum, vel hic locus
essent medium ducens mentem divinam
in cognitionem omnium creaturarum:
nequè *in etate* terminativa, quasi omnes
creature sint in ipso, & per ipsum cœ-
lum, aut in hoc, & per hunc locum:
neque *in etate* inclusionis, quasi omnes
creature includantur in cœlo, vel in hoc
loco, ut filii in utero antequam nascantur;
ita non agnoscit DEUS creature in æter-
nitate *in etate* medii, aut *in etate* termina-
tiva: quoniam nequè æternitas est me-
dium, in quo tanquam in causa, vel tan-
quam in fundamento connexionis, aut
oppositionis vel tanquam in alio simili,
agnoscat DEUS creature (quam ratio-
nem

nem habemus ad hoc, vel ad judicandum hanc fuisse mentem D. Thomæ) neque creaturæ existunt in aeternitate, aut per aeternitatem, sed in successione, ac per successionem temporis, neque includuntur in aeternitate, sicut filii in utero materno, priusquam nascantur. Hoc sufficiat modo rei, in qua non parum est de modo loquendi.

XXXV. Quoad præsentiam, & coëxistentiam aeternitati, Dico 1. Quidquid modo sit de coëxistentia creaturarum cum aeternitate Divina, omnes quæ aliquando sunt, in aliquo vero, & proprio sensu sunt & fuerunt ab aeterno, & erunt physicè, ac realiter præsentes Deo, ejusque aeternitati. Probatur. Quoties in tuo, & ex tuo loco oculis ipsis intueris hominem in suo quoque loco physicè ac realiter existentem, toties ille in aliquo vero, & proprio sensu est tibi physicè præsens; hæc enim vox non semper significat existentiam rei, quæ dicitur præsens in eodem penitus loco, in quo est ille, cui præsens dicitur; sed significat etiam existentiam intrà ambitum, seu sphæram, ad quam extenditur ocularis visio illius; sic licet tu non existas in tota hac aula, neque hic, ubi ego existo, sed in ista parte loci, quam occupas, & licet ego, ut hic existens non existam in ista parte; nihil tamen minus tu es physicè, ac realiter præsens mihi existenti in hoc meo loco. Et ratio est, quia omne physicè, ac realiter existens in loco, vel tempore, quæ sunt in meo conspectu, sive prospectu, in aliquo vero, & proprio sensu est mihi præsens. Omne autem, quod physicè, ac realiter existit in parte loci, ita ut ego prouersus videam tum illud, tum partem illam loci, existit physicè ac realiter in meo conspectu, atque in loco, qui est in meo prospectu. Et confirmatur multiplex autoritate. 1.º Elisæi, qui minister suo avaritiam dissimulanti dixit.

^{¶ Reg. 8.5.} Nonne Cor meum in præsenzi erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui, non utique, quia Elisæus tunc fuerit physicè in eo individuo loco, in quo peractum fuit triste illud negotium, nec quia hoc peractum fuerit in cella ipsa Elisæi, sed quia hic in hac, & ex hac divinitus adjutus intuebatur totam illam historiam quæ alibi tractatur eadem phrasi

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

usurpandi esse præsens, pro scire utitur La-
ban cum suo genere dicens de Deo. Qui ^{Genes. 31.} præsens respicit. Eadem Eliphai apud Job. 4. ^{Job. 4.} Cum spiritus me præseñe, id est me vidente, tranfaret. Eadem Paulus absens corpore, ^{2. ad Cor. 5.} præsens autem Spiritu. Id est videns, &

authorizans rem. Et iterum. Præsentes ^{2. ad Cor. 5.} esse ad Dominum, id est, scientes illum ad-

esse: Ergo scire, & sciri sunt frequenter in scriptura, & in obvio modo loquendi esse præsentem. 2. a S. Thomæ, qui expli-

cans quomodo DEUS sit in omnibus per præsentiam ait: Per præsentiam verò suam ^{1. p. q. 8.} dicitur aliiquid esse in omnibus, quæ in prospe-

ctu ipsius sunt, sicut omnia, quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui, qui ramen non est secundum substancialiam suam in qualibet parte Domus. Et paulò post refutans errorem, quem Eliphaz exprobabat Jobo.

Dicū. Quid enim novit DEUS, &c. nec no-

stra considerat, & circā Cardines Cœli peram- ^{Genes. 17.} bulat. Addit sanctus Doctor. Contra

hos oportuit dicere, quod sit in omnibus per suam præsentiam. Et demum respondens ad se-

cundum repetit: Quod aliiquid potest dici præsens alicui, in quantum subjacet ejus conpe-

ctui, quod tamen distat ab eo secundum suam substancialiam, ut dictum est. Et quamvis Disput. 1. De Principio, & fine Mundi

n. 45. Dixerim id esse confundere ubiqutatem cum sapientia Dei, absit, ut repudiarem hanc explicationem S. Tho-

mæ, ut falsam, vel impropriam, sed dicebam solum, non sufficere ad rem, quæ ibi disputabatur; non omne verum

& proprium sufficit ad omne. Hec ra-

tionabiliter suadent, non posse falsitatis, aut improprietas insimulari assumptam illam propositionem, maximè cum DEUS ipse usus fuerit eodem modo lo-

quendi. Ambula Coram me, id est cogita ^{Genes. 17.} me, & esto perfectus. Transeo nunc ex

loco ad tempus.

XXXVI. Ergo quoties in tua, & ex tua duratione intueris oculis ipsis hominem in sua duratione physicè, ac realiter existentem, toties ille in aliquo vero,

& proprio sensu, juxta authoritates das, est tibi physicè præsens, id est esset intrà ambitum & sphæram, ad quam tunc extenderetur tua visio corporalis di-

vinitus infusa. Quia sicut loquendo in genere rem esse tibi præsentem quoad locum non dicit determinatè illam esse in

codem penitus, loco, in quo tu es,

quip-

quippè aliàs nullum corpus distinctum à tuo posset esse tibi præsens quoad locum; sed potest esse vel in eodem loco, vel in anteriore, vel in posteriore, vel in comitante, modo sit intrà prospectum tuum: Ita loquendo etiam in genere, rem esse tibi physicè, ac realiter præsentem quoad durationem, non dicit determinatè illam esse in eadem penitus duratione, in qua tu es, aut in alia comitante, sed potest esse in eadem, vel in anteriore, vel in posteriore, vel in comitante, modo tamen sit intrà prospectum tuum, & subjaceat tuo conspectui, ut nuper dicebat S. Thomas, hoc est modo illam clare, apertequò intuearis: sed quamquam nequè Adamus, nequè ultimus nasciturus homo vivant in hoc individuo instantè, in quo nos vivimus; item quamquam nulla creatura, verè, ac propriè loquendo extiterit physicè, ac realiter ab æterno, sicuti modò existit hæc carta, & hic sol, &c. (extitisse ab æterno in aliena mensura, hoc est in æternitate, videtur res non nimis decora quoad rem præsentem, sicut si aliquis diceret, hanc cartam extitisse ab æterno in sua causa, hoc est extitisse ab æterno Omnipotentiam, & Mexicum existere hic Romæ in sua causa, id est existere hic Romæ DEUM, qui est causa illius Urbis. Sic creature esse ab æterno in aliena mensura, nilest aliud à parte rei, quam æternitatem non incipisse in tempore, esse æternam. Quis hoc negat? quà venit hoc ad rem?) quamvis inquam illa sint vera, nihilotamen minus oculo infinitè perspicace mentis suæ ab æterno, & in æternum intuetur DEUS illos, & creature alias physicè, ac realiter existere in suis spatiis temporis. (Et ecce disparitatem ad creature nunquam existentes, si quidem non intuetur DEUS illas physicè, ac realiter uspiam existere, quod erat necessarium ad rationem præstantialitatis.) Ergo quamquam creature non fuerint ab æterno propriè loquendo, nihilominus in aliquo vero sensu, & proprio fuerunt ab æterno physicè, & realiter præsentes æternitati, & quamquam Adamus, & ultimus nasciturus homo non vivant in hoc instanti, in quo nos vivimus, nunc in hoc instanti sunt physicè, ac realiter præsentes Deo, de quo dixit suus Filius.

Euse. 20. Omnes vivunt ei, loquendo de Patriarchis,

qui quoad homines jam præteriti erant. Omnia igitur aliquando existentia sunt nunc, & ab æterno, & in æternum physicè præsentia D E O (secus coëxistentia, quippè de hoc infra) in sensu, qui utpote significatus per divina testimonia data num: 35. non potest insimulari falsitatis, aut improprietas.

XXXVII. Objic: 1. Id non est aliud à parte rei quam DEUM ab æterno scire, & videre, quæ sunt in tempore: nego. Quoniam est id, & insuper est illud, quod infertur ex hoc, videlicet creature in aliquo verò, & proprio sensu esse physicè, ac realiter præsentes. Divinæ æternitati: quod autem hoc inferatur ex isto, probavi auctoritate, exemplo, & ratione num: 35. Eodem modo impugnare poteras probantem Petrum esse admirativum ex eo, quod homo sit: dicendo scilicet, illum nil aliud dicere, & probare, quam Petrum esse animal rationale: nego, quia dicendo, & probando Petrum esse hominem, diceret, ac probaret Petrum esse animal rationale, & insuper diceret, ac probaret, quod ex hoc infertur, nempè esse admirativū; Unde ex eo, quod ip̄i non negabatur, & de quo non erat quæstio, probaret, quod ip̄i negabatur, & de quo erat quæstio. Idem in præsentiarum. Ex hoc certo, & de quo non dubitatur nunc, ab æterno agnosci DEUS existentiam futurorum, infero propter auctoritates, & rationes datas num: 35. hoc, quod dispuo nunc, scilicet creature aliquando existentes in aliquo vero, & proprio sensu esse physicè, ac realiter præsentes æternitati. Quoniam unus è modis essendi præsens alicui est subjacere conspectui illius, ut ibi dicebat S. Thomas videri ab illo, esse intrà ambitum, & sphæram, ad quam extenditur visio illius.

XXXVIII. Objic: 2. Plusquam hoc velle S. Doctorem, quando dicit, omnia, quæ sunt in tempore esse præsentia æternitati; nam assumeret probandum, si nil aliud diceret, quam omnia quæ sunt in tempore cognosci à Deo, quod tunc assumit disputandum. Nego antecedens. Quia cum eo articulo 13. quem initio hujus capituli citavi, nil aliud assumat disputandum, quam scientiam DEI esse futurorum contingentium, & hoc protinus in corpore probet ex eo, quod DEUS seit omnia non solum, quæ alii sunt, sed

sed etiam, quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ; quando postea non per modum probationis, sed per modum Corollariorum ait: *Unde omnia, quæ sunt in tempore sunt DEO ab æterno præsentia* (& idem dico de responso ad tertium) voce hac explicat tantum, illa esse intra prospectum, & quasi ambitum, ad quem extenditur scientia Divina. Et ne Lector dubius esset de qua specie præsentia loquebatur, addit immediate rationem inquiens, *quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia pro ut sunt in sua præstantialitate*; Ergo species præstantialitatis, sive præsentia ab æterno, quam agnoscit in creaturis non per modum probationis, sed per modum Corollariorum (undè subsistit, quod non assument probandum) est quod subjaceat conspectui Divino, sicut in q. 8. art. 3. ejusdem primæ partis explicat modum, quod DEUS est per præsentiam in omnibus. At possunt ab æterno cognosci à DEO, ut extiturae in tempore, quin ab æterno existant physicè, realiter, absolute in ipsa divina æternitate (nisi haec verba significant id, quod est extrà rem præsentem, & meritis terminorum lusus, hoc est, nisi significant ab æterno existere ipsam divinam æternitatem, sicut si aliquis diceret Petrum existere immensè in Divina immensitate, eo quod hæc immensè existat) quippe vel dicuntur existere in Divina æternitate, sicut Filii existunt verè, & realiter in utero materno, antequam nascantur, vel quia physicè, & realiter existant per ipsam divinam æternitatem; Et jam vides quam absonta sint ambo. Ergo mens S. Thomæ non fuit ista, sed quam ipse ibidem explicat, *quia ejus intuitus fertur, &c.* & quæ colligitur ex illa q. 8. ubi ait: *Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus, quæ in prospectu ipsius sunt.* Et cum unum esse præfens alteri dicat hoc esse præfens illi, si DEUS est per præsentiam in omnibus, quia omnia, in prospectu ipsius sunt in hoc eodem sensu, & propter hanc eandem rationem omnia sunt Deo præsentia ab æterno, & in æternum: Quocirca argumenta procedentia de præsentia, de præstantialitate, de coëxistentiâque creaturarum ab æterno, distinguenda sunt: & concessa de coëxistentia, de præstantialitatē in aliquo vero, & proprio sensu, nempè de præstantialitate essendi

in prospectu Dei, sive subjacendi conspectui Divino; neganda sunt de præstantialitate existendi physicè, ac realiter in æternitate in aliquo ex tribus sensibus modo refutatis.

XXXIX. Dico 2. Quamvis ut numerus ratiocinabar exponens trinum sensum, quem potest dare illud *existere in æternitate*, sive in aliena mensura, creaturæ sive essentialiter successivæ, qualia sunt tempora, sive successivæ accidentaliter, non existant physicè ab æterno in æternitate, sive in aliena mensura, ut aiunt. Verumtamen utræque haec creature in proprio, quando, id est in propria sua duratione coëxistunt physicè, ac realiter toti sempiternitati Divinæ existenti tunc, non per quando, non per tunc, non per durationem, quæ sunt successiva, sive creata, sive increata; sed per simplicem, indivisam suam entitatem, semper stantem, invariabiliterque respondentem cunctis successivis durationibus, ut ex num: 26. arguebam num: 30. & seqq. coëxistunt inquam illi toti, non quidem totalitate extensiva, seu extrinseca, sed intensiva, & intrinseca: Priusquam explicetur, & probetur conclusio. Memineris duo. Primum est illud, quod adverti num: 28. videlicet posse nos loqui super hac materia per duplum speciem proportionum. Una quippe incipiunt à Deo ponentes hunc pro subjecto v.g. *DEUS coëxistit, coëxistit rebus successivis.* Altera incipiunt à creature, ponentes hanc pro subjecto v.g. *Primus homo, qui fuit: ulimus, qui erit, coëxistit toti æternitati Divine.* De illis primis loquebar ibi. De his secundis loquor modo. Et licet videantur differre inter se purè materialiter, eò quia omnis coëxistentia est mutua, interest tamen inter utrásque, quod illæ primæ assumunt pro subjecto rem invariabiliter existentem, & absque ulla sua successione, eodem semper modo se habentem ad res successivas, ut quatuor exemplis ostendi à num: 30. secunda vero rem successivè, & temporaliter existentem, quæ diversitas in re præsentia est valde formalis, & præ oculis habenda. Quemadmodum passim in aliis correlationibus verum discrimen est inter propositionem assumentem pro subjecto unum relativum, & assumentem pro subjecto alterum. v.g. *Creator creature,*

creare

Creatura Creatoris. Maritus Uxorius. Uxor Mariti. Dominus servi. Servus Domini, &c.

XL. Secundum est. Non esse firmum, quod sit possibilis duratio entitativè creata, quæ indivisibiliter respondeat quatuor v.g. particulis, sècù instantibus nostris temporalibus. Tum quia videtur caræter Divinitatis tam perfecto modo existere, ut absq; illa successione in sè, & sui ipsius, eodem semper modo se habeat ad res successivas, ut polus, & centrum sphærae eodem semper modo (respectivè) sè habent ad circulos, & linæas. Semel autem superatà hac difficultate in creatura, de materiali se habet in re præsenti, quod immobiliter coëxistat quatuor solis, aut pluribus instantibus successivis. Tum quia si semel admittitur possibilis duratio creata entitativè indivisibilis, respondens successivis temporibus, cur non sunt de facto tales durationes omnes rerum permanentium; ita ut tempus intrinsecum creaturarum sit æquivalenter tantum, & virtualiter tempus, non verò formaliter hoc est, non sit successivum, nisi quatenus æquivalet motibus successivis? quid speciale quoad præsentem rem habet ista creatura durans toto hodie v.g. per indivisibilem formam, & stantem durationem, quod non haberent omnes creaturae hodie, durantes per durationes successivas? Posunt ergò includi successivæ durationes, hoc est tempora formaliter talia intrinseca omnium, vel multarum, vel aliquarum creaturarum de facto existentium, & poterit impune dici illas existere per indivisibilem durationem incipientem, & finientem, quando DEUS vult. Aut poterit dici de facto esse indivisibiles durationes, quæ ex suam essentia habent incipere, quando incipiunt, & finiri, quando finiuntur. Quæ duo imerito dicentur. Ratio autem esse potest, omne, quod imprimis est possibile, deinde essentialiter habet existere, extra, & supra omne tempus, & particulam temporis, essentialiter habet existere per æternitatem (non enim sunt, nisi hi duo modi existendi) & consequenter essentialiter habet existere, ita ut nec incipiatur, nec finiatur; sed ita duratio entitativè indivisibilis, & respondens instantibus nostris successivis, in primis per te est possibilis, deinde essen-

tialiter haberet existere extra, & supra omne tempus, & particulam temporis, quandoquidem essentialiter haberet non existere per quidquam, quod esset tempus ipsius, aut particula temporis: Ergo essentialiter haberet existere per æternitatem, & consequenter ita existere, ut nec inciperet, nec finiretur. Sed hoc repugnat creaturæ: ergo. Hinc 1. Dicere illam habere ex sua essentia respondere indivise ex parte sui ipsius solis quatuor instantibus nostris, est implicatio in terminis. Quoniam si semel sic responderet quatuor, omnibus responderet, ut potè existens non per formam, quæ esset tempus sed per formam, quæ esset æternitas. 2. Paritas ex præsentia entitativè indivisibili, quæ respondeat loco divisibili non multum promovet rem. Propter eandem quippe rationem dicunt alii, quod res, quæ per entitativè indivisibilem præsentiam responderet partibus successivis loci, responderet illis per immensitatem. Quapropter neque anima rationalis, neque Angelus sunt juxta illos in partibus successivis loci per indivisibilem præsentiam, sed per præsentias multas partiales, quarum omnium complexum est locus intrinsecus adæquatius, quem DEUS scit esse proportionatum illis.

XLI. Explico, jam, & probo conclusionem: Quemadmodum quilibet nostrum in singulari suo loco, in quo est, coëxistit physicè, ac realiter *toti* immensitati Divinæ (quia cum hæc sit entitativè simplex, ac indivisibilis, nequimus ei coëxistere, quinei *toti* coëxistamus, alias esset aliquid immensitatis, cui coëxisteremus, & aliquid ejusdem cui non coëxisteremus) non autem totalitate *extensa*, quasi simus in omni loco, in quo est immensitas; quippe hoc poscebat, quod per immensitatem ipsam essemus hic v.g. sed totalitate *intensa* intrinseca, absolute, & entitativa immensitatis ipsius; nam ut nuper dicebam, cum hæc sit entitativè simplex, ac indivisibilis, illi toti præsentes, aut absentes illi toti esse debemus. Ita quilibet creatura semel existens, coëxistit physicè, ac realiter *toti* divina æternitati; quia hæc est etiam entitativè simplex, ac indivisibilis. Ergo creatura existens aliquando illi toti debet coëxistere, vel illi toti non coëxister debet,

Metaph. 9. debet, quia sicut in simplicibus, aut totum attingitur, aut totum ignoratur, ut inquit Aristoteles, ita aut toti coexistitur, aut toti non coexistitur. Sed non coexistit creatura toti sempiternitati totalitate *extensiva* quasi creatura sit in omni tempore, cui respondet sempiternitas: Quippe hoc polcebat, quod creatura existaret formaliter Immediate per ipsam sempiternitatem (quod tamen non sequitur ex eo, quod huic coexistat) sed totalitate *intensiva* in sensu nuper dicto.

XLII. Ubi ne confundas quatuor has propositiones. 1^a. Creaturæ sunt ab æterno physicè, ac realiter præsentes Deo. Hoc ratione, authoritatibus q. 3. probavi n. 35. quia, ut ibi dicebam unus è modis essendi physicè, ac realiter præsens alicui est intuitivè ab illo cognosci, ut existens, creaturæ autem aliquando existentes, licet non existant ab æterno, verumtamen ab æterno cognoscuntur intuitivè per DEUM physicè, ac realiter, ut aliquando physicè, ac realiter existentes. 2^a. Est: Creaturæ aliquando existentes verè, ac realiter coexistunt toti æternitati Divinæ totalitate intensiva. Id probabam nuper. 3^a. Est: creaturæ ab æterno coexistunt, vel coextiterunt Deo, sive in propria, sive in aliena mensura, hoc est sive in propriis durationibus, sive in æternitate ipsa. Hanc propositionem nec probavi, neque probabo, quia falsitatem, aut terminorum abusum imbibit, ut explicui num: 38. & nequè ex prima, nequè ex secunda sequitur, ut explicui. 4^a. Est. Adamus, aut ultimus nascitur homo coexistunt hodie nunc in hoc instanti toti æternitati Divinæ totalitate intensiva. Hæc etiam est falsa. Quidquid enim non existit, non coexistit. At Adamus, & ultimus homo non existunt hodie nunc, in hoc instanti; Ergo non coexistunt hodie nunc, in hoc instanti toti æternitati Divinæ. Sed unius coexistit, & alter coexistet, alludente utriusque verbi consignificato ad ipsos, non vero ad æternitatem Divinam.

XLIII. Objic: Extrema creata, quæ identificantur cum uno tertio singulari, & simplici, identificantur inter se: ergo extrema creata, quæ compenetrantur localiter, aut temporaliter cum uno tertio singulari, indivisibili, ac simplici compenetrantur inter se localiter, aut tempo-

raliter; Ergo si primus, & ultimus homo compenetrantur quoad durationem cum tota æternitate Divina semper, & simul stante absque ulla sui successione, compenetrabuntur inter se quoad durationem: Nego primam consequentiam. Quia si esset bona, sequeretur, vel immensitatem Divinam esse entitative in se ipsa compositam, vel Romam, & Madridum intimè penetrata cum immensitate, compenetrari inter se; item sequeretur. Vel animam nostram esse entitative divisibilem, vel brachium dextrum, & sinistrum intimè compenetrata cum illa, intimè quoque compenetrari inter se. Ratio propter quam istæ consequentiae non valent est i. Ex eo, quod A & B identificantur realiter cum C omnino singulari per identitatem puram ab omni distinctione tum virtuali, tum formalis ex natura rei, sequitur convenire utrilibet quidquid convenit rei C, alias jam discrepant in aliquo, & consequenter in aliquo distinguerentur ab ea re: Ergo si huic convenit identificari cum B, hæc eadem identitas convenire debet rei A: item si illi C, convenit identificari cum A, hoc idem convenire debet rei B; Ergo si utriquè convenit identificari cum C identificate cum utroque, utriusque debet convenire, identificari cum altero. Cæterum ex eo, quod A, & B compenetrantur quoad locum, vel quoad durationem cum C, non sequitur convenire utravis quidquid convenit rei C. Ergo potest huic convenire, quod compenetratur cum B, quin hæc compenetratio conveniat rei A; item quod compenetratur cum hac quin cum hac compenetratur res B. Excipe quando res C nequè alibi; nequè alias existit, quam ubi, & quando existit res A. v. g. (& idem dico de B) quia tunc certum est, quod si A, & B compenetrantur cum C debent compenetrari inter se. Id non contingit in istis exemplis. Quoniam primus, & ultimus homo compenetrantur quidem quoad durationem cum Divina Æternitate, sed cum hac alias existente etiam, quam quando existit ultimus homo, si quidem ea tota ob suam characteristicam perfectionem existit etiam, quando existit primus homo, & vice versa: Quemadmodum Roma compenetratur sancè cum immensitate DEI, sed cum hac alibi quo-

quoquè existente, quam ubi est Roma: Et brachium dextrum compenetratur cum anima nostra, sed quæ alibi quoquè existit, quam ubi est illud.

XLIV. 2. Ex eo, quod primus, & ultimus homo compenetrantur quoad durationem cum tota divina æternitate totalitate intensiva, sequeretur compenetrari inter se, si alteruter duraret, formaliter immediatè per ipsam divinam æternitatem, aut per quid huic par, secùs si duraret per indivisibiles, & successivas temporis particulas. Sicut ex eo, quod Roma, & Madritum compenetrantur quoad locum cum Divina immensitate, sequeretur compenetrari inter se quoad locum, si altera ex his duabus urbibus esset præsens per immensitatem aut per quid huic æquale; secùs si præsens sit per circumscriptæ præsentia particulas successivas: At ex eo, quod primus, & ultimus homo compenetrantur quoad durationem cum tota Divina æternitate, non sequitur alterutrum durare formaliter immediatè per hanc, aut per quipiam illi par. Sicut ex eo, quod duas dictas Urbes compenetrantur quoad locum cum Divina immensitate, non sequitur illas esse præsentes per immensitatem aut per aliquid huic æquale. Ergo, 3. à priori. Quoties dubitatur, conveniat nec nè aliquid rei A inspicienda, & consulenda est ratio formalis, & quidditativa illius alicujus. Si ea conveniat rei A, huic convenit illud aliquid, secùs, si secùs. At ex una parte ratio formalis, & quidditativa successionis temporalis stat formaliter immediatè in multitudine durationum indivisibilium ejusdem rei, quarum unæ sunt essentialiter antè, & aliæ essentialiter post alias, supposito, quod illæ aliquando extiræ sint, ut explicui in Physica speculat. Disp. 4. n. 9. & seq. Sicut ratio formalis, & quidditativa successionis localis stat formaliter immediatè in multitudine præsentiarum, quarum aliae habent ex suamet essentia distare ab aliis, posito, quod sint in rebus. Ratio autem formalis simultatis in essendo semper, stat formaliter in una simplicissima perfectione, quares ita sit, ut sit extra, & supra omnem mutabilitatem, & variationem temporum, sicut ratio formalis simultatis essendi in omni loco stat in attributo, per quod res ita

adest physicè, ac realiter omni loco, ut adsit extra, & supra omnem successiōnem localem. Recognosce exempla, quæ dedi num. 32. & 33.

XLV. Ex alia parte hæ perfectiones, sive attributa convenient Deo, ut ex Augustino, ex quidditatequè ipsius Dei argumentab num. 25. & seqq. Multitudo autem illarum indivisibilium durationum successivarum, nec non successivarum præsentiarum competit respectivè creaturis, quæ sanè neque sunt in rebus formaliter per Divinam æternitatem, aut per aliquid huic par; neque sunt in loco per immensitatem Divinam, aut per aliquid illi æquale. Ergo creature sunt capaces distandi inter se temporaliter, & localiter (unde neque primus, & ultimus nasciturus homo sibi coëxistunt, neque Roma, & Madritum sunt in eodem loco) Deus autem ex suamet quidditate est incapax utriusquè distantia. Ergo licet Deus reduplicativè, ut existens Madriti distet localiter à Roma, ut jam dixi, quia ea reduplicatio importat Madritum quod sanè à Roma distat; item licet reduplicativè, ut coëxistens diei hodierno distet temporaliter ab Adamo, siquidem hodiernus dies distat ab Adamo; nihilotamen minus Deus in se, & quoad se, atquè specificativè sumptus, & præscindendo à tempore, quod per verbum consignificatur, neque distat quoad locum à Roma, neque distat quoad essendum ab Adamo, sive ab ultimo homine: Quinimo præsentissimus est simul ex parte sui omni loco, & præsentissimus quoque, & coëxistens simul simultate ex parte sui creaturis omnibus, quæ fuerunt, & quæ erunt.

XLVI: Hinc prò argumentis contrariis solvendis, menti insideant tres propositiones quas dedi sparsas, & nunc colligo. 1. Quemadmodum carta hac, & quodvis aliud continuum quantitativum est verè ex parte rerum aggregatum resultans nunc ex pluribus, nunc ex paucioribus (prout magnum, parvum, aut mediocre fuerit illud continuum) particulis physicè indivisibilibus papyri v.g. invicem successivis quoad locum, & invicem immediatè unitis respectivè. Ita tempus *intrinsecum* est physicè ex parte rerum aggregatum, seu complexum resultans nunc ex pluribus, nunc ex paucioribus

ribus (pro ut **magnum**, parvum, aut mediocre fuerit) actionibus indivisibilibus quæ actiones dicuntur *motus*, physicè invicem immediate sibi respectivè succendentibus quoad existendum, absque unione tamen physica inter se, quia aliæ simul existerent, quibus causa creata, aut causa prima si non adit alia proportionata, continuè, incessanter producit rem, v.g. hanc cartam. Unde sicut sol continuè incessanter emittit versus omnem differentiam loci innumerabiles lineas lucis, & caloris, & in quavis linea innumerabiles gradus utriusquè qualitatis; non quia hæ lineæ, radii, & gradus individui sparsi, physicè continentur prius intrà viscera solis, & illinc egrediantur postea, sicut filii erant physicè intrà viscera matris, & illinc egrediuntur ad nos, aut sicut aqua erat physicè hydrophilatio, & illinc egreditur physicè per epistomium, aut sicut fluvialis aqua erat physicè in mari, & illinc per occultos meatus erumpit ad nos (jam vides barbariem apprehendendi hoc modo continentias effectuum in suis causis) sed quia vastissimus globus solaris continuè, incessanter producit circumquaquè inumeros gradus lucis, & caloris in omnibus lineis ætheris, & aëris, quæ ab ipso tanquam à centro possunt duci versus ambitum totum suæ activitatis. Ita Deus ratione suæ omnipotentiaz continuè, incessanter producit (hæc continua productio est, quæ vocatur *Conseruatio*, sive *Duratio* creaturarum) creaturas omnes, quæ sunt. Et hæc continua series productionum uniuscujusque creaturæ est ejusdem tempus intrinsecum, nunc minus, nunc majus, nunc unius horæ, nunc unius diei, nunc unius mensis, &c. prout plures, aut pauciores fuerint illæ continuatae, successivæ, ac indivisibles productiones; Et propter hanc successionem datur capacitas in creaturis existendi *heri*, quæ vox significat multitudinem dictarum productionum existentium ante hodiernas, & existendi *hodie*, quæ vox significat multitudinem aliarum existentium ante crastinas, & existendi *cras*, quæ vox significat multitudinem aliarum existentium post hodiernas, & hesternas.

XLVII. 2. Licet secundum abstractivas, imperfectissimæque species, qui-
R. P. de Ulloa, Theol: Tom: I.

bus nunc cognoscimus DEUM; & secundum nostrum modum loquendi (cui sæpiissimè se se accommodat scriptura) oriundum ex eo modo cognoscendis Deus fuerit *heri*, & sit *hodie*, & futurus sit *cras*; ac castigatè loquendo in Deo, non est *heri*, *hodie*, *nunc*, *cras*; sed indefectibilis sempiternitas seu indefectibilis, invariabilis actualitas, & præstantialitas essendi, ut explicabam num. 31. Ista namque *heri*, *hodie*, *nunc*, *cras*, vel sunt entitativè Divina, vel entitativè Creatura. Si primum sequetur, quod aliqua entitativè Divina erunt transuentia, variabilia, & mutabilia, quod juxta Augustinum citatum num. 26. est contrà clamorem rationis naturalis. Si 2. sequetur DEUM esse in rebus per aliquid creatum, & cum Deus fuerit ab æterno, sequetur aliquid creatum fuisse quoquè ab æterno, ut ibi arguebam. 3. Ad mitigandum asperitatem aliorum modorum loquendi, ad quos nos cogit difficultas ipsa materia, atquè novitas etiam, quandoquidem est contrà omnia illa, quorum astueti sumus ab infantia in omnibus prorsus aliis rebus, ut ex Augustino adverbi num. 19. & seqq. necesse est distinguere inter propositiones incipientes combinationem à creaturis, ponentesque illas pro subjecto (de his egi ab initio hujus capituli) & propositiones incipientes combinationem à DEO, hunc assumentes pro subjecto. Et inter has oportet distinguere propositiones, in quibus sonat vacula, non aliud, significans, nisi tempus, aut particulam temporis v.g. *heri*, *hodie*, *cras*, *quondam*, *nunc*, *in hoc instanti*, *aliquando*, *postea*, &c. (de his egi num. 28.) & propositiones immunes ab his vocalis. Præterea in his etiam immunibus oportet distinguere id, quod verbum quo constat propositio, significat, & id, quod verbum illud significat. De his egi num. 29.

CAPUT V.

De Aliis attributis DEI, & eorum indistinctione.

XLVIII. Q Uemadmodum in essentia Metaphysica cuiusvis rei distinguiimus unum, quod vocamus *Genus* & alterum, quod dicimus *Differencia*; non quia sint duo, sed quia nec vox simplex, nec cognitioni suppetit nobis ad exprimendam.

exprimendum adæquatè essentias Metaphysicas; sed duabus, aut etiam pluribus vocibus, & cognitionibus opus est nobis ad hoc negotium; dualitatem autem, aut etiam pluralitatem, quæ est in nostris cognitionibus, aut vocibus, appingimus objecto, more hominibus solito, ajetibus solem v.g. ecclypsari, cum non ille, sed illi ecclypsatur, hoc est luce priventur; & dicentibus quoquè terræ, Urbesque recedunt, cum nequæ terræ, nequæ Urbes recedant, sed homines ipsi, qui vehuntur navi. Ita in præsenti: dicimus, attributa Divina; non quia in Deo ente simplicissimo detur verè, ac realiter pluralitas attributorum; sed quia nequæ lingua nostra, neque mens potest unico solo termino vocali, aut mentali explicare Deum, adhuc cognitum imperfecto nostro modo; atquè ideo multis utimur verbis, ac cognitionibus; & multitudinem, quæ in nostris actibus solis est, annectimus Deo, agnoscentes tamen reflexè hanc multitudinem non inesse illi, sed nostris actibus; quæ reflexa advertentia, nisi cohiceat directas nostras cognitiones, & locutiones, nobis infigent haec non bona species. Igitur supposita necessitate sic loquendi ob aliarum vocum penuriam, attributa Divina alia sunt trascendentalia v.g. *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *aliquid*. *Unum*, quæ, multiplicentur nec nè in Divinis, postea disputabo. Alia sunt propria solius DEI, ut Omnipotentia, Immensitas, &c. Hac item vel sunt communia tribus Divinis Personis, ut sunt ista duo, & alia, vel sunt propria unius tantum, ut *innascibilitas*, quæ soli Patri convenit, *Generatio passiva*, quæ soli Filio, *spiratio passiva*, quæ soli spiritui sancto, vel propria duarum tantum Personarum, ut *spiratio activa*, quæ de solo Patre, ac Filio enunciari potest, & producibilitas, misibilitasque, passiva, quæ soli Filio, & Spiritui sancto convenit. De his erit sermo Disp. sequente.

XLIX. In longum iremus, si attributa propria DEI communia tamen omnibus Divinis Personis, disputare vellemus adhuc secundum modulum, quo illa cognoscimus. De Sapientia, Veracitate, Constantia, & Fidelitate egi tract. de Fide inter explicandum objectum formale assensus, quem præstamus revelatio-

nibus Divinis, assertoriis, Promissoriis, atque Combinatoriis. De Justitia disputavi tract. de Justitia, & Jure, in cuius ultima Disputatione exposui, quomodo absque læsione supremi sui Domini potest Deus se obligare ex stricta justitia. De immensitate Disp. 1. de Primis, & Ultimis temporibus num. 43. & seqq. ubi probavi, Deum non solum scire, & physicè operari, quæ ubique sunt; verum etiam esse ubique ratione præsentia veræ, ac realis, non minus, quam nos sumus in loco, in quo sumus, quamvis ille modo longè altiore, & perfectiore sit.

L. De attributo *Primatus* in ratione Causæ, in ratione Principii, in ratione Liberi, in ratione Moventis, &c. Disputavi in Physica speculativa Disp. 2. num. 4. & seqq. Axioma autem illud, quod immerito tribuitur Aristotelii *Primum in unoquoque genere est causa ceterorum*; Et illud, quod merito tribuitur. *Est mensura ceterorum*; Et illud. *Quod est causa ceterorum est primum in eo genere*, exposui in Prodromo Disp. 1. num. 119. & seqq. Impossibilitatem duorum primorum Principiorum suppono ex Polemica contra Manichæos, & ex initio symboli: *Credo in unum DEUM, Factorem, &c.* Lege apud Augustinum pulchrum discursum Nebridii amicissimi civis sui contra dualitatem primi Principii, quo discursu. *Omnes, qui audieramus, concussi sumus, ut de se tunc Manichæo fatetur S. Doctor.* Argumentum autem illud, quo urgebatur in Manicheismum: *Quarebam unde malum? & non erat exitus.* Et rursus. *Quarebam astuans. Unde sit malum? quæ illa tormenta parviriem cordis mei? qui gemius, DEUS meus, &c.* (Unde non audens credere Deum esse causam mali, adhæsit multum tempus Manichæo cominiscenti aliud primum Principium à DEO distinetum ex quo esset mala, ut ipse fatetur) hoc inquam argumentum postea deprehendit esse fallax; nam deprehendit, malum illud, hoc est culpam, non esse substantiam. *Malumque illud, quod quererabam, unde esset, non est substantia:* Et quod olim non intellexerat, scilicet. *Liberum voluntatis arbitrium causam esse, ut Lib. 8. t. 3* malum faceremus, &c. & eam liquide cernere non valebam, intellexit posse inquiens. *Ex voluntate perversa facta est libido, & dum fer-*

Osea 13. Trid. siff. 6. can. 6. servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuerudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis, &c. Causa igitur unica propria, ac per se mali est voluntas ipsa, sive liberum arbitrium creaturæ, quod licet in se ipso sit bonum, se tamen ipsum sponte inficit, concipiendo pravam voluntatem absque ullo sibi impresso impulso inevitabili, & irresistibili, *Perditionis tua Israel.* Item. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona DEUM operari, non permisivæ solum, sed etiam propriæ, ac per se, &c. anathema sit.*

Aug. c. 8. de Prado. LI. Ex mysterio autem Trinitatis, sicut non eruantur tres Dii, sed tres, qui sunt unus Deus; ita nec tria prima Principia, sed tres, qui sunt unicum primum principium creaturarum, *Inseparabilità quippe dicimus esse opera Trinitatis,* ait Augustinus, & postea definitivit Concilium Florentinum, in definitione fidei. Primum inquam Principium propriæ, ac per se rerum indifferentium, item rerum moraliter bonarum. Primum item, sed purè permisivum, ac per accidens rerum malarum moraliter, quia peccati, ut talis non datur primum, ac secundum, sed unicum principium propriæ ac per se, nempè liberum arbitrium creatum (ut ex Osea, & Tridentino nuper dixi) quod licet solus Deus, ut causa Prima det, conservet, corroboret, adjuvetque, non tamen flectit irresistibiliter in unum potius, quam in alterum ejus exercitium, *Eccl. 13.* quinimmo apponit illi aquam, & ignem, ad quod volueris porridge manum tuam; Et insuper Deus est incapax quoad peccatum eorum omnium, in quorum aliquo stat conceptus causa per se, ut exposui in Physica speculativa Disp. 2. num. 24. Demum ex eodem mysterio non inferuntur duo Prima Principia ad intra. Licet enim Pater, & Filius sint distincti producantque Spiritum sanctum; at sicut non sunt duo Dii, sed unus Deus, ita non sunt duo Principia Spiritus sancti, sed unicum illius Principium, unica spiratio ne illum produceens, ut ex Concilio Flarentino dicam suo loco.

LII. De Attributo, Omnipotentia. Dico 1. Illam esse Metaphysice connexam cum possibilitate omnium possibilium (id probavi Disp. 4. Logicæ majoris n. 174. & seqq. consequenterque ad has referri

R.P. de Uilloa, Theol. Tom. I.

transcendentaliter) Dico 2. quod stando solis rationibus phylosophicis, secus stando authoritati, non est proprium illius solitus producere per creationem. Id probavi in Prodromo Disput. 4. ubi à cap. 10. solvi duodecim Cardinales rationes formari solitas contrâ Creaturam, quæ possit operari per creationem, sive ex nihilo. Dico 3. Omnipotentiam indispensabiliter concurrere immediate cum omnibus causis secundis ad harum effectus respectivè & quidem per eandem ipsam actionem, per quam operantur ipsæ causæ secundæ, quin concursus hic delegabilis sit ulli alii. Hoc probavi Disp. 3. Phys. speculat. n. 16. & seqq. Dico 4. illam concurrere eo ipso, sed purè physice atque per accidens ad malitiam formalem peccati, si consistat in positivo. Id exposui, probavi, atquè defendi ibidem à num. 24. Postea verò num. 32. & seqq. aperui, & sancivi tendentiam decreti applicativi omnipotentiae ad producendum simul cum creaturis quidquid hæ physicè producunt, & consequenter ad producendum purè physicè malitiam formalem peccati. Et demum ibidem n. 54. ostendi modum, quo Deus determinat causas secundas quoad speciem, intentionem, durationem, atquè individuationem suorum effectuum. Dico 5. Quod Omnipotentia conservet creaturas omnes permanentes, & consequenter quod hæ durent, sive perseverent, sive sint in tempore intrinseco: hæ inquam consistere physicè ex parte rerum in continuis, indivisibilibus, atquè essentialiter successivis actionibus, quibus Deus incessanter producit omnes, & singulas creature, quæ sunt. Id exemplo solis continuè successivè producentis lucem, & calorem versus omnem differentiam loci: & maris continuè successivè effundentis fluvios, & fontis continuè successivè aquam emittentis, & lucernæ continuè successivè lucentis, exposui nuper ex Disp. 1. de Principio, & fine mundi num. 15. & 34. Dico 6. Eandem omnipotentiam unico impetu suæ activitatis produxisse simul (non utique una individua, & singulari actione, sed innumeris invicem coëxistentibus) Cœlum Empyreum, Angelos omnes, terram, aquamque impletum spatium à superficie hujus globi terraquei usque

ad

ad confinia Empyrei, & post tres horas produxisse lucem materialem, illustran- tem ccelum illud. Hoc explicui ibidem à cap. 3. Ubi dedi sistema creationis mundi. Quales, & quomodo mensu- randæ illæ horæ, atquè dies, quando nondum erat sol, nequè firmamentum, qualia item, & quomodo erant illud *Vesperè*, & illud *Mane*, quæ meminit scrip- tura, exposueram ibidem toto cap. 2.

LIII. De illis duobus inscrutabilibus ^{¶ fol. 100.} Attributis, *Misericordiam*, & *Judicium cantabo tibi Domine*, ex quibus nascitur: extera Angelorum, hominumq; aut felicitas, aut infelicitas, hoc est arca- na illa discretio soli DEO nota, & factibili- lis Prædestinatorum à Reprobis. De his inquam agam postea, quando men- tem disputabo S. Augustini circa inspira- tiones Divinas, quibus Deus subvenit infirmitati nostræ; non quia pollicor dare rationem, quam nec Paulus, nec Augustinus dedere, confugientes ad illud. *O altitudo divitiarum, &c.* Sed quia supposita ignorantia, quam habemus modò, rationis, propter quam DEUS, qui toties afferitur in Scripturis non ac- ceptor Personarum, alios eligit in vasa misericordiæ, alios abjicit in vasa igno- miniæ; hac inquam supposita ignoran- tiæ exponam ibi, in quonam consistat physicè ex parte rerum ea electio electo- rum, & reprobatio reproborum, ita ut firma, & inconcussa maneant hæc tria, quæ omnino firma esse debent. 1. Pu- ra gratia, & misericordia DEI erga sal- vundos, qui profectò gratis salvantur, nec non reætudo judicii erga illos, qui damnantur, non quatenus supposita il- lorum perseverantiæ finali, & horum fi- nali impenitentia illos evehat, & hos detrudat, quia in hoc nulla est difficul- tas; sed quatenus ita disponit, & com- binat res. Ut illis, secus his, prædesi- niat media, quibus certissimè liberantur. 2. Certitudo, atquè omnimoda infalli- bilitas salutis illorum, & æternæ mortis horæ. 3. Libertas indifferentiæ in utri- quæ, quando rationis compotes sunt, ad ultimam actionem, ex qua dependet æ- terna salus, vel mors. Horum trium concordiam insinuavi in Philosophia na- turali. Disp. 4. n. 148. & seqq. Sed fuit il- la insinuatio mera, quam solam res illa poscebat.

LIV. Quoad distinctionem, vel in- distinctionem attributorum inter se, at- que ab essentia memineris aconomia, quæ est in DEO. DEUS unus. Proces- siones due, nimurum Filii & Spiritus sancti, & utravis aut activa aut passiva. Personalites tres, nempe Paternitas, filiatio, spiratioque passiva. Relationes quatuor, scilicet Paternitatis, filiationis, spiratoris, & Spiritus sancti. Nationes quinque. Videlicet haec quatuor, & In- nascibilitas, quæ character seu notio est Prima Personæ. Hoc supposito sit conclusio. Attributa necessaria absoluta v. g. Omnipotentia, Sapientia, Intellectus, Voluntas, scientia, Amor, & odium ne- cessaria, & essentia Divina nec realiter nec virtualiter, sed solum ratione no- stra distinguuntur invicem. Ceterum à duabus processionibus sive activis, sive passivis à tribus personalitatibus, à qua- tuor relationibus, & à quinque notionibus illa omnia distinguuntur pure virtualiter. Ratio est. Licit ita identificen- tur cum his (omnia quippe quæ sunt in DEO sunt DEUS) ut aliquid conveniat his, quod repugnat illis v. g. *Producere*, *Producendi*, &c. Distinguereque Personas Di- vinas: & vice versa, aliquid conveniat il- lis, quod repugnet his v. g. inveniri in omnibus, & singulis Personis: & hac de causa distinguantur virtualiter ab his. Verumtamen nil profrus convenit uni attri- buto necessario absoluto, quod non con- veniat aliis, & essentiæ, & actibus illis necessariis intellectus, & voluntatis; ergo ab his non distinguuntur nisi solum formaliter relate ad imperfectum no- strum modum cognoscendi, nimurum quatenus ex vi precisiè hujus expressionis *omnipotentia* e.g. nequimus statim assequi identitatem ipsius cum immensitate, intel- lectu, voluntate, & scientia necessaria, sicut ex vi precisiè hujus expressionis *animal* nequimus statim assequi identita- tem cum rationali.

L V. Hinc primo essentia Divina, intellectus, voluntas, scientia necessaria, amor necessarius, æternitas, &c. sunt quidem verba distincta, quorum usus est nobis necessarius. Ut mutuò in- telligamus: Ast cum in illa simplicissima entitate non dentur centones illi, qui- bus nos induimur, idcirco illa sunt verba, idem profrus objectum significantia,

non

non quatenus in Deo non dentur illa omnia, sed quatenus omnia illa sunt unum, & idem realiter, ac virtualiter: Quapropter in sensu objectivo, & reali intellectus, & voluntas, & scientia necessaria ut potè realiter, & virtualiter identificata cum omnipotenti concurredunt physicè immediate ad operationes creatas, quin hæ sint immediate liberae Divine voluntati, quia videlicet essentialiter presupponunt alium actum immediatus liberum ex quo proportionatè derivantur, nempe Divinum proportionatum, decretum. Ob eandem identitatem cum Voluntate, Intellectus, & Omnipotentia sunt in sensu reali, & objectivo immediate libera respectu decretorum Dei, non respectu rerum disparatarum. Item in sensu reali intellectus ille est formalis ipsa intellectio necessaria, & voluntas illa est formalis ipse amor necessarius; item intellectus ille amat, fruaturque libertate ad actus eosdem, ad quos voluntas illa est libera, & similiter voluntas illa realiter intelligit, estque necessitata ad actus eosdem, ad quos ille intellectus.

LVI. Non tamen propterea concedendum est absolute actum intellectus esse actum voluntatis, quia hic terminus actus intellectus supponit pro solis cognitionibus & hic actus voluntatis pro solis amotibus, odiis, volitionibus, ac nolitionibus. At licet intellectus, & voluntas sint penitus idem ex parte objecti, & consequenter quidquid procedit ex uno procedat ex altero; nihilominus cognitiones contingentes distinguuntur virtualiter in Deo ab amotibus, odiis, &c. ergo licet, &c. sic licet potentia volitiva, & nolitiva sit eadem, nihilominus, quia volitiones, & nolitiones non sunt idem, propterea dici non potest absolute actum potentiarum volitivarum esse actum potentiarum nolitivarum, sicut neque actum potentiarum visivarum, esse actum potentiarum intellectivarum; licet juxta satis probabilem philosophiam potentiarum non distinguantur in homine.

LVII. Hinc 2. respectu scientiae necessariae, ut distincta à verbo, & amoris necessarii, ut distincta à Spiritu sancto non datur in Deo potentia per modum actus primi realis, formalis, aut virtualis, sed tantum Logici, quia licet detur potentia per modum actus primi physici

respectu verbi, ut potè physicè producti à Patre, & respectu Spiritus sancti ut potè physicè producti à spiratione; verumtamen nec intellectus, neque voluntas producunt physicè, aut formaliter aut virtualiter scientiam, vel amorem necessarium: quia nullo ex his modis distinguuntur ab eis. Sed tantum ratione nostra, quatenus assueti distinctioni inter potentias humanas, & suas operationes apprehendimus generaliter intellectum, & voluntatem Dei, ut producentes scientiam, & amorem necessarium. Sicut etiam apprehendimus rationale, ut radicem, ex qua pullulat risibilitas. Sed rationi cedat apprehensio; nam etiam apprehendimus Patrem aeternum per modum sensi, & Angelos per speciem Juvenum, & utroque spernitur apprehensio.

LVIII. Hinc 3. in singulis Personis Divinis est intellectio necessaria, & amor necessarius; singulae namque agnoscunt, & amant; sed non singulae producunt Verbum, aut Spiritum sanctum; quippe intellectio illa non est ubilibet productio verbi (idem respective de amore) sed in persona tantum, quæ capax fuerit producendi Verbum, sicut gratia habitualis non est ubivis filiatione Dei adoptiva, sed tantum in subjecto capace: At quamvis sit in singulis Personis, non sunt singulae capaces producendi Verbum; nam Fide constat solum Patrem producere Verbum, ergo solus, &c. Unde non datur locus intellectioni, aut amori notionalibus, id est intellectioni qua Pater producat Verbum & amori quo spirator notionaliter producat Spiritum sanctum. Hæ quippe notionalitates non videntur necessariæ: & non sunt multiplicandæ res absque necessitate.

LIX. Hinc 4. Verum est DEUM se amare, quia se cognoscit: Item nihil volitum, quin præcognitum; sed non semper ob præcedentiam realem, aut virtualem cognitionis ad amorem; sicut nec quando dicimus, id est à priori hominem esse risibilem, quia est rationalis, sufficit enim veritati istarum, & similium propositionum, quod unum sit ratione nostra prius altero, quatenus uno utamur ad probandum alterum non est converso. Sed hoc potest stare absque præcedentia reali, & virtuali, & cum sola

præ-

præcedentia per rationem, ut contingit in essentia respectu proprietatis metaphysicæ; ergo ex veritate istarum propositionum nihil contra nos; quod si pertinaciter insistas, illas propositiones significare prioritatem realem, aut virtualem, statim negabo illas veras esse: similiter verum est, DEUM vivere in actu secundo intellectione, & amore necessario; ast non vitæ, vel motu simili nostræ, id est, stante in eo quod immanenter operetur in se aliquid; sed vitæ ordinis altioris, stante nimis in actuali purissima identitate cum intellectione, qua percipit objecta necessaria, & cum amore, quo fertur necessario in se ipsum.

LX. Hinc demum in sensu reali Verbum producitur per Voluntatem, amoremque necessarium, siquidem producitur per intellectionem realiter, & virtualiter indistinctam ab his. Similiter Spiritus sanctus per intellectum, necessariamque intellectionem, siquidem producitur per amorem necessarium indistinctum virtualiter ab his: sed quia verbum ex sua caracteristica proprietate est expressio veritatum, non autem pondus affectivum, & expressio potius alludit ad intellectum, & cognitionem, quam ad Voluntatem, & amorem; item quia Spiritus sanctus ex sua simili proprietate est nexus, seu pondus affectivum, non autem expressio veritatum, & hoc potius innuit voluntatem, & amorem, quam intellectum, seu intellectionem: idcirco aperiendi ergo has characteristicas proprietates communis est PP. & Theologorum vox. Verbum procedere per intellectum, & non per Voluntatem, è converso autem Spiritum sanctum. In sensu vero reali materiali, & prout res sunt ex parte objecti, tam procedit Verbum per Voluntatem, amoremque necessarium, quam Spiritus sanctus per intellectum, necessariamque intellectionem, quia hæc quatuor nec virtualiter distinguuntur: Sicut nec misericordia, & Justitia, & tamen est vox communis condonationem peccatorum nasci ex misericordia, & non ex justitia, è contrario correptionem ex justitia, non ex misericordia, vel immensitate. Et sic explicare debes testimonia, quæ objici possunt, & solent. Sicut etiam est communissima vox intellectum nostrum

esse potentiam necessariam, voluntatem esse liberam: Et tamen communis satis Philosophia non agnoscit distinctionem ullam adhuc virtualem inter has duas potentias.

CAPUT VI.

*De Constitutione Attributorum,
sive Denominationum, sive Terminationum
sive actuum Contingentium.*

LXI. **O**bsecrissima res, de qua me-^{1/2} ritò dixit P. Ilquierdo My-de L sterium hoc ineffabile est, nec plenè à nobis, pro⁹⁴ hoc statu perceptibile: Ego dico, nec semiple-^{ne}, & constat à posteriori ex immensa sylva sententiarum, in quas abierte Theologi, solvendi causa hunc nodum. Igitur post disputata attributa necessaria in aliqualem incumbens explicationem contingentium: Dico. Actus contingentes intellectus, ac voluntatis Dei sumpti quoad entitatem, & quoad denominationem, sive terminationem, sunt DEO adæquatè intrinseci, quandò existunt; sed distinguuntur invicem virtualiter; nec non ab essentia Attributis necessariis, Divinisque relationibus. Difficultas rei præsentis aperitur hoc discursu. Ex una parte constat fide, ratione que naturali, possibile esse Metaphysicè quod DEUS nequè produxisset, nequè producere voluissest meam animam, & consequenter, quod non habuisset scientiam absolutam visionis circa illam: Quoniam liberè libertate indifferentie absque ulla antecedente necessitate produxit, & producere voluit animam meam. Ergo potuit non esse in rebus volitio, quæ voluit illam producere: & similiter potuit non esse in rebus scientia, quia videt existere animam meam. Ex alia parte hæc volitio, & scientia sunt realiter entitativè ipse DEUS, in quo utpote actu purissimo, nil datur extra-
neum, nil alienum, nil creatum, quia licet nos simus capaces habendi in nobis ipsis multa, quæ non sunt homo, siquidem nostri actus intellectus, & voluntatis non sunt homo, sed accidentia spiritalia hominis; in DEO tamen nil datur, quod non sit DEUS; alias darentur accidentia entitativè Divina, atquè darentur in DEO compositio ex substantia, & accidentibus Divinis: Ergo vel DEUS non

non habet libertatem indifferentiae ad volendum producere animas nostras , vel aliquid entitativè Divinum potuit deficere . Propter hoc distinguunt multi inter entitatem dictæ volitionis , atquè denominationem volentis , inter implicitum , & explicitum illius , inter rectum , & obliquum , sive connotatum , inter essentiam , & terminationem (invenies alia verba similia passim) & aiunt . Entitatem , implicitum , rectum , essentiam volitionis illius esse quid entitativè divinum , & esse indefectibile , & esse incapax , ut sit Deo passivè liberum ; denominationem verò solam , explicitum , connotatum , obliquum , terminacionemqùe ad creaturas , esse Deo passivè liberam , & consequenter defectibilem ; at non esse adæquate Deo intrinsam , seu non esse adæquate entitativè divinam , quoniam , ut aiunt , constituitur per ipsam creaturam , ad quam terminatur , aut per aliquid aliud creatum .

LXII. Contrà hos est conclusio proposita . Et explicatione Mysterii Trinitatis , cui hoc est prorsus affine adjutus , ajo ; sicut in unaquaquè Divina Persona , ut invicem colloqui possumus , discernimus duo ; nempè entitatem essentiam , substantiam ipsam Divinam , & insuper relationem , sive personalem proprietatem ; non quia haec non imbibat in omni penitus suo conceptu substantiam & entitatem divinam maximè juxta sententiam infra dandam , per quam haec fore debent : videlicet relationes Divinas nūl entitatis existentias , aut perfectionis addere supra essentiam Divinam ; sed quia non imbibit illam tali specie determinata identitatis , nimirum realis , & simul virtualis (sicut discernimus inter differentias entis , & ipsum ens , non quia illæ non imbibant in omni suo conceptu ens , sed quia haec transcendentia non est reciproca) Undè nascitur , quod non obstante mentali impræscindibilitate relationum ab essentia multa possumus affirmare de illis , quæ non de hac . Sic cum proportione aliqua , in uno quoque actu divino contingente , sive intellectus , ut scientia libera visionis , scientia media directa , aut reflexa , sive Voluntatis , ut volitiones , ac nolitiones liberæ , duo debemus discernere , ut loqui possumus : nempè entitatem , essentiam ,

realitatem , quidditatem , seu substantiam filius actus , & insuper denominationem , sive terminationem ipsam , scientis , volentis , aut nolentis . Discernere , inquam , non quia hæ denominations non imbibant in omni prorsus suo conceptu entitatem , substantiamque divinam ; sed quia illam non imbibunt tali specie identitatis , nimirum virtuallis .

LXIII. Undè nascitur , quod licet , nequè loqui , nequè cogitare possimus de his denominationibus , quin ibi sonet , ac statim affulget entitas , & substantia ipsa Divina , multa tamen possumus affirmare , ac negare de illis , quæ non de his (sicut licet , nec loqui , nec apprehendere possimus differentias Entis realis , quin ibi sonet ipsum Ens , verumtamen illæ sunt quid adveniens , & superadditum enti , ut vel ipsi Logici explicare solent) quia ad hoc sufficit , quod illæ denominations distinguuntur virtualiter ab essentia , seu ut castigatè magis loquamus , quod non identificantur virtualiter cum illa . At licet prorsus identificantur realiter , ita ut in tota ipsa denominatione scientis , atquè volentis ubique occurrat entitas divina , tamen non identificantur realiter & virtualiter quia , ut suprà adverbi depræhensa est ex principiis Fidei species quædam identitatis realis , & realissimæ , quæ non est identitas virtualis . Ergo quamvis prædictæ denominations plenè , & adæquatè trascendantur ab entitate Divina , ita possumus discernere inter illas , & hanc , ut aliquod possumus affirmare , aut negare de uno , quod non de altero . Verbigratis . Decretum quoad denominationem , quæ secundum omnes suas objectivas formalitates est essentia divina , est contingens ; secus essentia ipsa Divina : Sicut dicere possumus . Paternitas , quæ secundum omnia sua prædicata est essentia ipsa Divina , generalis & spirata , secus essentia ipsa Divina . Et sicut Logici dicunt . Perseitas , quæ secundum omnia sua prædicata est formalissimè ens , constituit speciem , dividit species , est adveniens , & superaddita Enti ; secus ipsum ens . Cui exemplo semper insistendum est , non quidem probandi , sed explicandi ergo , & hanc difficultatem , & illam de relationibus nihil entitatis habentibus supra ipsam divinam essentiam .

LXIV. Dico ergo. Actus hos contingentes sumptos non modo quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem sciendi, volendi, atque nolendi, esse Deo adaequatè intrinsecos per realem identitatem cum eo; nam ut tales non constituuntur per aliquid Deo extrinsecum; ergo ut tales sunt Deo adaequatè intrinseci. Probo antecedens. In Deo dantur actus contingentes, qui inefficaces sunt, eo quod non connectantur Metaphysicè cum suis objectis, v.g. Voluntas de salute omnium hominum. Voluntas de eo, quod Peccator bene utatur auxilio sibi collato. Decretum indifferenter applicativum omnipotentiae, amores, & odia simplicia, &c. Per quod ergo creatum constituantur hactenus? non per existentiam suorum objectorum, quia haec non semper datur, ut patet in salute omnium hominum. Non per eorundem parentiam; nam, licet actus eos esse inefficaces, consistat in parentia connexionis cum suis objectis; attamen esse volitiones, seu amores illorum non constituitur per eam parentiam: vel nolitio efficax, & nolitio inefficax ejusdem objecti haberent eadem omnino constitutiva.

LXV. Similiter in Deo dantur actus contingentes reflexi supra alios actus divinos contingentes v.g. nolitio profundi creaturam aliquam amore, vel odio, aut indignatione; his namque affectibus potest Deus liberè supersedere, cum nequè bonitas creata, nequè malitia, quippe quæ ambæ sunt finitæ, necessitent Deum, sive ad Amorem, sive ad odium. Per quid ergo creatum constituantur hi actus reflexi? non quidem per bonitatem ipsam, aut malitiam creaturæ, aut utriusvis parentiam, conjuncti enim cum utravis, vel utriusvis parentia potest Deus non habere actus eos reflexos, quia supposito peccato v.g. Creaturæ, non est Deus necessitatus adhuc actum nolo tibi irasci propter istud peccatum. Similiter dantur in Deo actus: Contingentes disjunctivi, ut decretum, indifferenter applicativum omnipotentiae, atque conditionales, ut Decretum largiendi gloriam, si decedamus in gratia: Per quod creatum constituantur hactenus? Ex parte rerum non datur quidpiam, quod in se ipso sit veritas disjunctiva,

aut conditionata; haec namquæ sunt denominations provenientes ab actionibus intentionalibus modo disjunctivis, modo conditionatis; sicut objecta esse affirmata, vel negata, potestque Deus habere actus eos, licet non dentur actus alii, à quibus nascantur illæ denominations, & per quos illæ constituantur. Ex quo discursu colligitur, vel expungendos esse in Deo omnes istos actus, quos semper agnoscit in ipso Theologia, vel dicendum illos non constitui, ut tales, per quidpiam creatum.

LXVI. Secundo. Volitio efficax existentia hujus mundi visioque absoluta, & determinata ipsius, sunt actus divini contingentes. Potuit namquæ Deus non decernere, & consequenter nequè videre hujus mundi existentiam. At non constituantur ut talia, id est quoad hanc denominationem, per aliquid creatum. Probatur. Si per aliquid, maximè per existentiam ipsam voluntam, & visionem; sed non per hanc: ergo. Prob. min: Inter illam volitionem, ac visionem datur ordo prioritatis: Ideò namquæ a priori Deus videt mundum esse, quia est, & ideo est, quia Deus illum esse voluit: At non daretur hic ordo prioritatis, si volitio, & visio ut tales constituerent per existentiam ipsam mundi; quia talis ordo non datur inter formalitates ipsas divinas, quippe quæ sunt unum, & idem realiter, & virtuiter, quandoquidem ipsis precise, ut talibus non convenient contradictria absoluta, vel conditionata. Rursus nequæ in existentia mundi, quippe nequit esse prior se ipsa; ergo si actus Divini contingentes, ut tales constituantur per quid creatum, destruitur inter ipsos, ut tales ordo prioritatis, & posterioritatis.

LXVII. Si configrias ad solitas laterbras reduplicationum, facile deprehenderis, nam quidquid sit de vocibus nullam aliam realitatem invenies in eo decreto, ut tali, & secundum terminacionem contingentem ad mundum, nisi formalitatem necessariam divinam, & existentiam ipsam mundi. Rursus nullam aliam in ea visione, ut tali, & secundum terminacionem, nisi formalitatem divinam necessariam, & existentiam mundi (dico formalitatem, ipsos objectivos conceptus, ne vocibus irretiaris) illæ

illæ formalitates præcisè, ut tales non habent ordinem dictum; item nequè hæc existentia: Ubi ergo est distinctio virtualis, ordòe prioritatis inter illud decretum, & visionem illam, ut talia? Denique sententia contraria non relinquit Deo libertatem ad actus suos internos, sed ad summum libertatem medium ad operationes externas, & creatas, quæ olim fuisse videtur sententia Aureoli. Etenim decretum hujus mundi, ut tale, & secundum denominationem, seu terminationem contingentem ad hunc mundum, præcisè dicit duo: Unum est Divina formalitas necessaria, alterum externa ipsa productio mundi. Ad illam formalitatem Divinam, ut potè necessariam non habet DEUS libertatem indifferentiae: Ergò solum restat libertas ad productionem ipsam mundi; quæ est actio externa: Imo nequè ad hanc, quia cum non sit exercitium immediatum divinæ voluntatis, non potest esse Deo libera, nisi mediata, quatenus supponat actum DEO immediatus liberum, ex quo ipsa dimanet: Sicut contingit in nostris actionibus externis liberis: Ergo si talis actus immediatus liber non datur in DEO, nequè actio ipsa externa erit Deo libera adhuc mediata; ergo ex contraria sententia sequitur immediata ruina libertatis Divinae immediatae, & postea ruina libertatis mediatae.

LXVIII. Totum pondus contrariae sententia stat in hoc: qui fieri potest, ut res entitativè Divina deficiat, seu nihil sit? Imprimis absit æquivocatio. Istæ phrases significare solent rem aliquando esse, & aliquando non esse in rebus; non dicimus hoc de actibus Divinis contingentibus; nam cum sit illis essentialis æternitas, si semel existunt, ab æterno, & in æternum existunt; si semel non existunt, utrovis modo non existunt. Solum ergo dicimus fieri posse, ut nusquam in tota aeternitate existat quoad denominationem actus ille Divinus contingens, qui modo existit in tota aeternitate. V.g. Scientia, qua DEUS videt nos omnes in hoc punto temporis sedere in hoc gymnasio. Item fieri posse, ut in tota æternitate existat actus, qui modo per totam aeternitatem non existit, v.g. decretum reprobatum S. Pauli. Deinde Respondet directè. Hæc difficultas ca-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.

dem, vel fortè major est, quam Trinitas, eodem itaque modo, quo illam explico. Loquendo in genere non minus repugnat aliquid entitativè divinum physicè produci ab alio, qui quamvis non sit aliud, est tamen alius, quam aliquid entitativè divinum non esse in rebus. At nihilominus aliquid entitativè divinum physicè producitur ab alio, Filius scilicet à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: Ergò, &c.

LXIX. Ratio explicans ambo hæc est. Licet repugnet aliquid entitativè divinum physicè produci productione cädente supra divinitatem ipsam, non tamen repugnat physicè produci productione appellante supra personalitatem, seu relationem, quæ licet sit entitativè Divina, tamen distinguitur virtualiter à Divinitate; Unde datur capacitas, ut non producta, nequè producente divinitate, producat, vel producatur personalitas, sive relatio. Hoc in præsentiarum. Quamvis repugnet aliquid entitativè Divinum nusquam existere, hoc est deficere defectu appellante supra divinitatem, non tamen defectu appellante supra denominationem, seu terminacionem contingentem decernentis, volentis, aut nolentis, quia hæc denominations licet entitativè divinæ distinguuntur virtualiter à Divinitate, cum hæc sit necessaria & illæ contingentes.

LXX. Hinc primo: Sicut Divinæ relationes non distinguuntur virtualiter ab attributis absolutis, & essentia Divina quoad entitatem, substantiam, existentiam, ac perfectionem, quia ut postea dicam eadem prorsus indivisa entitas, substantia, existentia, atque perfectio est in omnibus divinis; sed solum distinguuntur virtualiter quoad tales relationes Paternitatis, &c. Ita actus contingentes Divini non distinguuntur virtualiter quoad entitatem, existentiam, substantiam, perfectionem, & essentiam ab actibus necessariis ob eandem rationem; nè DEUM communiscamus compositum ex infinitis essentiis, entitatibus, existentiis, & substantiis virtualiter distinguishitis. Solum ergo distinguuntur virtualiter ab actibus necessariis quoad denominationem decernentis, scientis, &c. quæ

deno-

E

denominationes præcisè, ut tales distinguantur virtualiter ab entitate, substantia, existentiâque Dei.

LXXI. Hinc 2.^o Sicut relationes Divinæ non identificantur virtualiter, sed solum realiter cum suam essentia, & entitate, quandoquidem distinguuntur virtualiter ab essentia Divina, quæ est ipsarummet essentia, cum non sint idæa Platonica, nequæ Personæ constent geminâ essentiâ unâ absolutâ, & alterâ relativâ; Itâ actus contingentes identificantur realiter, non autem virtualiter cum sua essentia, & entitate, quia distinguuntur ab essentia Divina, & hæc est essentia, & entitas ipsorum, qui profectò non constant duplici essentia, una necessaria, & altera contingente, & sicut ibi cum unitate essentiæ stat multiplicitas realis Personarum; ita hic cum unitate essentiæ stat multiplicitas virtualis denominationum, scientiarum, & decretorum; atque ob hanc rationem datur locus, ut entitas, essentia, & existentia actuum contingentium sit prorsus necessaria, & consequenter Deo non libera; denominatio verò decernentis, sive scientis sit contingens, & Deo libera; nempe quia hæc denominatio distinguuntur virtualiter ab essentia, entitate, existentiâque sua, & in hoc sensu dico, actus eos non esse contingentes; & liberos Deo quoad entitatem, sed tantum quoad denominationem. Sicut 2.^a & 3.^a persona sunt productæ, non quoad entitatem, & essentiam, sed tantum quoad relationem.

LXXII. Hinc 3.^o Si Rogeris, quid sit entitativè hæc denominatio scientiæ, voluntiæ, aut nolentiæ! Respondebis insistendo semper eidem exemplo. Sicut Divinæ Personalitates nihil entitatis, nihil realitatis includunt præter ipsam entitatem, realitatemq; Dei, quæ una, atquæ indivisa est in omnibus, & singulis divinis Personis; includunt tamen relationem ultra hanc entitatem, quia ex Fide hujus Mysterii novimus esse relationes distinctas virtualiter saltem ab entitate, & realitate, & consequenter esse illas in hoc sensu ultra entitatem, & realitatem: Unde interroganti quid sit entitativè ex parte rerum Paternitas v.g. Respondemus quod si quæstio sit de sola entitate, essentia, aut perfectione, nil

aljud est, quam ipsa essentia Divina. Sin verò quæstio sit de relatione, respondemus Paternitatem esse exercitum illud formale, & immediatum, quo Pater generat Filium addentes hoc exercitum ita penitus identificari cum ea entitate, ut simul distinguatur virtualiter ab illa. Ita predictæ denominationes, seu actus divini contingentes sumpti quoad denominationem nihil prorsus imbibunt in ratione entitatis, realitatis, existentiatatis, & aliqualitatatis, nisi ipsam formalissimam entitatem, & realitatem Divinam, quia omnia, quæ sunt in Deo, sunt una singularis, & indivisa essentia, substantia, res, & entitas. Unde si quæstio sit de dictis denominationibus in hoc sensu, responsio est, illas esse ex parte rerum entitatem ipsam, seu essentiam necessariam Dei.

LXXIII. Verumtamen ultrâ hanc includunt etiam esse actuale & formale exercitum volendi, nolendi, seu cognoscendi, quod distinguuntur virtualiter ab ea entitate, quia ex principiis fidei novimus esse hoc exercitum distinctum saltem virtualiter ab ea entitate, & realitate, siquidem novimus Deum esse liberum non solum quoad actiones creatas, & externas, verum etiam quoad actus immediatos suæ voluntatis, & sibi internos, & consequenter hujusmodi exercitum esse ultrâ illam entitatem. Item licet tale exercitum sit entitas, atquæ realitas, at non per entitatem, aut realitatem distinctam ab ea, à qua distinguuntur virtualiter. Sicut licet subjectum, ut distinctum ab albedine sit album; sed non per albedinem distinctam ab ea, à qua subjectum ipsum distinguuntur realiter; & sicut, licet totum esse differentiarum entis sit ens, tamen differentia distinguunt species, & aliquid superaddunt enti, nempe se ipsas; quia licet ipsæ sint Ens, attamen ens non imbibit illas in suo conceptu formalis. Itâ licet tota entitas & substantia exercitii formalis scientis, atquæ decernentis sit entitas ipsa divina necessaria, nihilominus cum sit virtualiter distinctum ab ea exercitum hoc, datur locus, ut aliquid sit ultra ipsam, nempe exercitum ipsum. Ubi distinguendæ sunt duæ propositiones valde diversæ, scilicet. Tota entitas, & realitas actuum contingentium, relationumque divinarum, est enti-

entitas ipsa divina. 2. Actus contingentes, & relationes nihil addunt Entitati ipsi divina. Prima est vera, secunda est falsa, nisi huic secundae addatur; nihil entitatis addunt; sicut tota perfecta & formaliter ens, est verum, vel faltem valde commune in Philosophia. Perfectus nihil addit supradictus, est falsum. Et ratio semper est eadem; scilicet, quod hic praestat non reciprocatio identitatis formalis, praestat ibi non identificatio virtualis. Quod nisi menti insidet, facilis erit hallucinatio in argente, & respondentie.

LXXIV. Ob: Rem existere est formalissime dari ipsius essentiam, entitatem, ac existentiam; ergo omne illud, cuius essentia, entitas, & existentia semper ac necessariò datur in rebus, est tale, ut semper ac necessariò detur in rebus; At per nos Essentia, existentia, entitasque actuum contingentium quoad denominationem semper, ac necessariò datur in rebus, quia nihil aliquid est, quam ipsa unica essentia, existentia, atque entitas Dei: Ergo actus contingentes semper, ac necessariò dantur non solum quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem; ergo non sunt contingentes, & liberi DEO adhuc quoad denominationem: Antecedens probatur, tum quia rem deficere nihil aliquid est, quam deficere suam entitatem, sive existentiam; ergo rem existere nihil aliquid est, quam dari suam entitatem, sive existentiam; tum quia vel res existit, quoties datur sua existentia, vel non: si primum habetur intentum. Si secundum, quid est, quod deficit tunc rei nō existat! si existit tota sua existentia, cur res ipsa non existit?

LXXV. Venusta fallacia. Imprimis antecedens rotundè negatur ab omnibus, qui defendunt rem existere per existentiam realiter distinctam. Unde censentes Thomistæ Humanitatem Christi Domini existere per existentiam Verbi, & fatentes insuper hanc aeternam esse, & necessariam, non concedunt absolute humanitatem existere ab aeterno; ac necessariò. Sed quidquid de hoc sit. Retorqueo argumentum. Rem produci physicè est formalissimè produci suam entitatem, substantiam, & essentiam; ergo omne, cuius entitas substantia, & essentia est physicè improductibilis, est etiam physicè improductibile; At enti-

tas, substantia, & essentia divinarum personarum est physicè improductibilis passivè, quia ut postea dicam in Personis divinis non datur duplex essentia virtualiter distincta una absoluta, & altera relativa; sed unica simplicissima essentia, entitas, & substantia, nempe Deitas ipsa, quæ nec produci, nec ad intrè producere physicè potest; ergo divinæ personæ sunt physicè improductibiles, quod 2.^z & 3.^z repugnat.

LXXVI. Igitur principia ista sunt vera, quando res non distinguitur virtualiter à suam entitate, essentia, atque existentia, secùs quando distinguitur. Quia tunc aliquando potest convenire uni, quod repugnat alteri; At personalitates Divinæ, actusquæ contingentes sumpti quoad denominationem distinguuntur virtualiter à suam essentia, entitate, atque existentia, id est, identificantur quidem penitissime cum ea, habent verò æquivalentiam distinctionis, sicut Vicarius prorsus non est Episcopus, habet tamen æquivalentiam Episcopatus, & Prorex, &c. Ergò licet extrà hæc mysteria vigeant principia ista, eo quod in creatis repugnet præfata distinctione (quam si non increatis repugnantem credas, facilius apprehendes rem præsentem) In divinis tamen non subsistunt, quia ibi datur hæc distinctione; ergo sicut ibi potest res produci quoad personalitatem, licet non producatur entitas, Essentia, seu existentia personalitatis: ita potest non existere quoad denominationem decernentis, seu scientis contingenter, licet existat tota entitas, atque substantia hujus denominationis. Quamobrem distinctione antecedens, quando sermo est de re indistincta virtualiter à sua existentia, essentia, atque entitate concedo, quando de re distincta nego; Et hoc in præsentiarum.

LXXVII. Ad primam probationem nego consequentiam: Quoniam distinctione virtualis non extenditur ad ea contradictionia, quæ non constant ex principiis Fidei. At deficere essentiam, entitatem, sive existentiam rei, & non deficere rem ipsam non constat nobis ex principiis Fidei: vel ostende: ergo distinctione virtualis non extenditur ad hæc prædicata; ergo si deficit entitas rei, deficit res ipsa. Cæterum ex principio Fidei

dei constat Deum esse liberum quoad multos suos actus immanentes, ut distinctos ab operationibus externis; ergo in aliquo verò sensu posse eos non existere, constat. Ex alia parte constat ex iisdem principiis nihil esse in Deo, quod non sit Deus ipse, & consequenter entitatem, sive essentiam actuum eorum esse divinam ipsam essentiam prorsus indefectibilem; ergo ex principiis Fidei constat, inter actus eos, & suam essentiam, sive existentiam, dari distinctionē saltem virtualē in ordine ad hoc, quod datā existentiā eorum non eo ipso dentur illi quoad hanc denominationem. Ad 2. facta eadem retorsione ex productione rei, quae non eo ipso est productio essentiæ entitatis, atquè existentiæ rei. Respondet idem. Si sermo est de re indistincta virtualiter à sua existentia, quoties hæc detur, dabitur illa: secūs si de re distincta virtualiter, quia tunc ultra existentiam requiritur ipsa res, quæ utpote distincta virtualiter à sua existentia potest non existere, quamvis existat sua existentia: sic juxta authores ajentes materiam primam existere per formam, quam actu habet, non illico infertur materiam hanc existere eo ipso, quod existat hæc forma, per quam modo existit, hac namquæ formæ perseverante poterat Deus non produxisse, vel annihilasse hanc materiam.

LXXVIII. Inst. i. cum Patre Isquierdo Disp. 31. de Deo num. 117. Volitio libera realiter identificata cum Deo etiam ut distincta virtualiter à ceteris Dei formalitatibus, non potest non dicere ex suo conceptu perfectionem realiter identificatam cum Deo; ergo nec potest verè, & realiter deficere: Consequentiā dicit constantem, & antecedens multisfariam probat utendo eis præcisionibus, & reduplicationibus, quas infra explicabo. Distinguo conséquens; nec potest verè deficere defectu appellante suprà istam perfectionem concedo; appellante supra ipsam volitionem quoad talem denominationem, distinctam virtualiter ab ea perfectione nego. Sicut tota, & omnis perfectio diuinarum relationum stat formaliter in sola essentia ipsa Divina ab eis distincta virtualiter, unde datur locus, ut relationes producant, vel producantur, quin earundem entita-

tiva perfectio producat, vel producatur. Ita omnis & tota perfectio actuum divinorum contingentium, ut esse vitam, gaudium, &c. stat formaliter in essentia ipsa divina, distincta virtualiter ab illis quoad denominationem; Unde datur locus, ut actus illi sumpti sic, possint non esse, quin perfectio ulla divina possit abesse Deo; Et consequenter quin concedamus, quod Cajetanus admittebat; Et sicut præscindendo omnino relationes divinas ab essentia nihil prorsus sunt, ut postea dicam, sicut quævis res præcisa à sua essentia, quod quidem non est defectus in eis, sed vitium mentis pravè præscindentis. Ita præscindendo omnino volitionem liberam Dei à Divina essentia, nihil prorsus est, imo est chimera, sicut res quævis præcisa à sua essentia; sed hoc erit vitium in nobis; non defectus in volitione; Igitur hæc omnia, ut divina, sunt mentaliter impræscindibilia ab essentia ipsa divina, licet cum hac non identificantur identitate etiam virtuali. Quapropter concedimus actus divinos sumptos quoad denominationem etiam, ut distinctos virtualiter ab essentia, dicere perfectionem, nempè essentiam ipsam, quia illa reduplicatio distinctionis virtualis non fugat, sed intimè imbibit realem identitatem illorum cum essentia; quare non sumus è numero illorum, qui ajunt hos actus, ut virtualiter distinctos ab essentia nullam importare perfectionem, sed non concedimus cum Cajetano ullam divinam perfectionem esse defectibilem, quia ob distinctionem, virtualē horum actuum à sua entitativa perfectione datur capacitas ut eis deficientibus quoad denominationem perseveret tota illorum perfectio, sicut ob similem distinctionem relationum diuinarum à sua perfectione, nimirum essentia Divina, datur capacitas, ut illis productis, vel producentibus sua entitativa perfectio, scilicet essentia, neque producat nequè producatur.

LXXIX. Inst. 2. Distinctio virtualis par esse potest quoad alia contradictionia, sed non quoad hæc Existere, & non existere; repugnat enim conceptus objectivos realiter separabiles identificari mutuo, ea verò quorum unum existit, aliud non, realiter separantur. At decretum aliud mundi non existit quoad hanc denominatio-

nationem , existit vero entitas , existentia , &c. DEI ; ergo illa denomination plusquam virtualiter distinguitur ab his. Respondetur in contradicitoris non datur magis , & minus ; ergo tam contradicitoria sunt quæcumque alia , quam existere , & non existere ; ergo si distinctione virtualis superat haec in divinis : Communicari , non communicari , Producere , non producere , Producere , non produci , potest vincere haec etiam existere , & non existere , nisi haec aliunde repugnant : At non repugnat , quod essentia divina existat , decretum autem aliud mundi non existat quoad hanc denominationem : quinimo ipsa divina libertas exercenda non solum quoad operationes externas , verum etiam quoad actus suos internos essentialiter exigit , quod possit deficere illud decretum quoad hunc respectum , terminationem , formalitatem , seu denominationem aliud volendi existentiam aliud mundi ; Ergo si distinctione virtualis sufficit quoad una contradicitoria vincenda , sufficit quoad altera . Ad probacionem antecedentis , Respondetur : quando denominatio , sive terminatio distinguuntur virtualiter ab essentia , existentia , & entitate , aliud est , quod conceptus objectivi sunt separabiles , quatenus unus existat , & alter non existat ; aliud quatenus detur existentia unius , & non detur existentia alterius (jam monui non esse idem , dari existentiam rei , & rem existere , quando res distinguitur ab existentia , sicut non est idem filiationem produci & essentiam , seu entitatem filiationis produci) quæ sunt separabilia in hoc 2. sensu non possunt identificari ; quæ sunt separabilia , quatenus licet detur existentia amborum , unum existat , & alterum non existat , eo quod unum ex illis distinguitur virtualiter à sua existentia , & Agens liberum utatur quasi jure , quod ipse dat illa distinctione , ne existat unum ex illis duabus , licet existat alterum , possunt identificari ; Mysteriose profecto , sed vere : sicut illa , quorum unum vere , & realiter producitur immediate , secundus alterum , possunt identificari mysteriose , mysterio prætervolante mentem humanam . Hoc in praesenti .

LXXX. Existit Deus , non existit quoad denominationem decretum aliud mundi , non quia non detur existentia

hujus decreti ; sed quia ab hac existentia distinguitur virtualiter illud decretum quoad illam denominationem . Et consequenter jus fundat , seu capacitatem , ut data illa existentia possit non dari haec denomination , Deusque ex titulo sua libertatis ad actus suos internos utatur hoc jure . Mysterium sanè , sed veritas necessaria ad salvandum has duas certas propositiones . Omnia , quæ sunt in DEO , sunt DEUS ipse , in quo non datur , nisi una simplicissima essentia , existentia , entitas , atque substantia : Altera . DEUS gaudet libertate indifferentie non modo quoad operationes externas , & temporales , verum etiam quoad suos externos actus contingentes , divinae libertatis capaces . Ubi meminisse debes saluberrimi illius moniti : Quod non capis , quod non vides , animosa firmat Fides præter rerum ordinem . Dupliciter itaque intelligi potest , quod res aliqua explicatur . 1. Quia de medio tollatur difficultas , quam implicat . 2. Quia aperiatur , seu sub oculos proponatur quidditas illius rei , unde fieri , quod si illa fuerit difficilis , clarius apparebit difficultas . Quando audis nos explicare haec duo Mysteria Trinitatis , atque libertatis Divinæ , cave ne expectes primam explicacionem , quam sola fides animosa superare potest ; sed secundam .

LXXXI. Ex quibus omnibus habes , nunquam concedendas esse absolute has propositiones . In divinis aliqua entitas deficit , producit , producitur ; sed vel negandas ob distinctionem virtualem inter entitatem , atque relationes , & denominaciones contingentes , quæ capacitem praestat , ut haec deficiant , & illæ producant , aut producantur , quin deficiat , producat , aut producatur entitas , sive essentia Divina . Vel distinguendæ sunt : Aliqua entitas producit , deficit , &c. productione , aut defectu immediate cadente supra entitatem , nego : cadente supra relationes , aut denominaciones , quæ sunt realiter illa entitas , sed non virtualiter , concedo .

LXXXII. Dico demum : Actus divini , qui vulgo dicuntur contingentes , invicem distinguntur virtualiter , non utique quoad entitatem , quippe omnes sunt eadem simplicissima entitas divina , sed quoad denominationem . Est contra aliquos modernos , opinantes , DEUM uni-

unico simplici, ac virtualiter etiam indivisibili actu, velle omnia, quæ vult, & nolle omnia, quæ non vult: Arguo sic: Vel comparamus actus contingentes intellectus inter se, vel actus contingentes Voluntatis inter se, vel illos cum his. Si primam, scientia media non est libera DEO, ut admittunt isti authores, scientia vero visionis est libera. Illa prælucet decreto collativo libertatis, non vero hæc; alias divina libertas ad suum decretum constitueretur per aliquod metaphysicè connexum cum ipso, unde non esset indifferentia, sed determinatio. Item illa non connectitur absolute, sed solum conditionat cum consensu, v.g. scientia vero, quæ Deus eum videt, connectitur absolute; ergo haec duæ scientiae contingentes distinguuntur invicem virtualiter. Rursus ego possum impedire actum scientiae mediæ de mea operatione, nec non actum scientiae visionis; sicut actum scientiae mediæ, aut visionis de tua operatione libera; ergo illæ duæ distinguuntur virtualiter ab his duabus.

LXXXIII. Si 2. imprimis cum decretum applicativum omnipotentiae constitutat indispensabiliter libertatem creatam, si illud esset realiter & virtualiter decretum, aut præmiativum boni usus, aut punitivum mali; cum ex alia parte hoc decretum metaphysicè connectatur cum illo usu propter quem decernit præmium, vel supplicium, jam haberemus constitutivum aliquod libertatis indifferentiae connecti metaphysicè cum uno exercitio determinatè, & hoc neque ipsi prædeterminantes jam admittunt, quia palam est contra conceptum libertatis indifferentiarum, scilicet, quæ positis omnibus prærequisitis potest agere, & potest non agere. Deinde cum libertas mea ad meritum, aut demeritum possit abstinere a merito v.g. & consequenter facere, nè unquam extiterit in Deo decretum largiendi præmium propter illud meritum: Si hoc decretum est realiter, & virtualiter decretum Incarnationis Verbi, decretum collationis auxilii effigie Deiparæ, & confirmationis in gratia, sequeretur, quod haec mea libertas ad meritum posset facere ne unquam extiterit in Deo decretum præsens incarnationis, Decretum illius auxilii, illius confirmationis in gratia, &c.

LXXXIV. Si 3. Datur quoquè distinctione virtualis, quia scientia conditio-
nata de bono, vel malo usu libertatis
creatæ, constituit libertatem Divinam
ad decretum collativum illius. Nequit enim Deus largiri talem, vel talem li-
bertatem creatam, quin præcognoscat,
utrum bene, an male se gestura sit, alias
inopinatus esset Deo bonus, vel malus
usus. Decretum vero non constituit li-
bertatem ad se ipsum, ut patet; simili-
ter decretum est liberum DEO, sicut illa
scientia, ut infra dicam; ergo haec
duo distinguuntur virtualiter; tum quia
scientia, qua Deus videt hominem peccare
est intimè connexa cum hoc pec-
cato, quia est infallibilis; sicut de-
cretum specificativè sumptum, quo Deus
permittit peccatum. Illa præsupponit
absolute peccatum; nam id est à priori
Deus videt hominem peccare, quia ille
peccat: Decretum vero permissivum
peccati non præsupponit illud absolute;
ergo etiam actus intellectus divini distin-
guuntur virtualiter ab actibus Volunta-
tis; ergo quomodo cumquæ combines a-
ctus divinos contingentes, semper de-
præhendes distinctionem virtualem in
eis quoad denominationem.

LXXXV. Multum pulverem exci-
tant hic Recentiores, ut hos hiatus ob-
struant; sed cum haec rationes sint clarae,
& firmæ, evasiones autem valde
ambiguae, malo lucem, quam tenebras.
Haec argumenta ne regeras contra indi-
stinctionem dictorum actuum quoad enti-
tatem; nam cum entitas eorum om-
nium sit unica simplicissima essentia Di-
vina, quidquid uni convenit, vel re-
pugnat quoad entitatem, alteri repu-
gnat pariter, vel convenit quoad enti-
tatem.

LXXXVI. Quamobrem nullus a-
ctus Divinus contingens, si sumatur
quoad entitatem est absolute connexus
cum illo contingente: nullus est impe-
dibilis, nullus est posterior ad liberta-
tem creatam, vel divinam, nullus præ-
cedit aliis: quia id generis prædicata fo-
lum verificantur de actibus illis sumptis
quoad talem, vel talem denominatio-
nem; sicut nulla Persona divina sumpta
quoad entitatem, essentiam, naturam,
vel substantiam producitur, aut produ-
cit ad intra, quia haec prædicata folum
veri-

verificantur de Divinis Personis præcisè quoad talem, vel talem relationem, sèu personalem proprietatem. Denique, quod hi actus contingentes sumpti quoad denominationem distinguantur virtuali-

ter ab essentia, actibus necessariis, & relationibus, constat ex eo, quod sumpti quoad denominationem possint non esse in rebus, cum tamen ista alia indefectibilia sint.

DISPUTATIO SECUNDA.

De DEO quoad Relativa : Hoc est de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

DUAS classes rerum in arcano hoc disputare solent Theologi ; nimirum Dogmaticas, atque Speculativas. Utrisque referti sunt libri obvii ; hac de causa parcus ero, & quæ notatu digna videntur, duntaxat dabo.

CAPUT I.

An, & qua ratione sit evidenter moraliter cognoscibile à Viatore hoc Mysterium.

I. **D**ico i. Non est evidenter Metaphysice demonstrabile ab intellectu nostro sibi soli relicto ; quippe illi *sibi soli relicto* apparet ex terminis ipsis impossibile, & consequenter nec positivè, nec negativè probabile. Probo primam partem contrà Raymundum Lullum, quem non pauci sequuntur Hispani Baleares. Nil magis notum in Ecclesia, quam summa hujus Mysterii arduitas, & obscuritas quoad quidditatem, ac existentiam : sed quod est demonstrabile, non est ita obscurum, siquidem evidenter probatur ; ergo. Ratio autem est, quam ibi adjeci. Nihil, quod ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto est demonstrabile, ut verum ab intellectu *sibi soli relicto* ; imo neque est ipsi probabile positivè, aut negativè, ut constat ; sed hoc Mysterium ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto ; ergo. Probatur. Omne, quod ex terminis ipsis apparet contrarium veritati, quæ ex terminis ipsis apparet evidens intellectui sibi soli relicto, ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto ; At tale est hoc Mysterium ; Probatur. Tria realiter distincta identificari cum eadem prorsus indivisa natura, sèu quæ sunt eadem uni tertio, non esse eadem inter

se, ex terminis ipsis apparet oppositum huic veritati, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed Trinitas constituit in eo primo ; ergo ex terminis ipsis apparet opposita huic dictæ veritati ; sed hæc veritas ex terminis ipsis apparet evidens intellectui *sibi soli relicto*; nam ante hujus Mysterii notitiam nusquam fuit in toto Orbe terrarum dubium de veritate illa, & omnes limitationes, sèu explicaciones illius principii haec tenus ab authoribus excogitatae nascuntur ex notitia, & assensu Fidei præsupposito Mysterii hujus ; ergo : Nequè est absurdum, quod intellectui nostro sine magisterio Fidei appareat ex terminis impossibile hoc Mysterium ; tum quia in rebus ipsis naturalibus multa apparent per se immediatè impossibilia, quæ usu postea, & experientia deprehenduntur factibilia, & è converso multa apparent possibilia, imo, & facillima, quæ ratione, ac experientia deprehenduntur esse Entia rationis. Et ratio est. Mens nostra sibi soli relicta non est regula scibilium, nequè veritatis pantometra, passim labitur, putans esse evidenter verum id ipsum quod falsum est, & viceversa : cuius veritatis plusquam sufficiens ratio est quotidiana experientia, quæ rubore susfundimur, quod multa crediderimus, quæ postea falsa deprehendimus ; ergo ex eo, quod Mysterium hoc per se immediate apparet impossibile menti nostræ *sibi soli relicta*, nihil infertur contra veritatem illius. Nequè est absurdum quod sit contrà lumen naturale in hoc sensu, id est contrà illud, quod intellectus solis principiis naturalibus consultis, putat esse per se immediate ex terminis evidens.

II. Fundamenta evidentiæ, quam contrarii prætendunt, sunt pr. mò: Evidens